*Hominem manum aridam habentem extendere fecit*, Matth. 12. 10. *item ſanavit verbo ſervum Centurionis, qui jacebat Paralyticus*. Matth. 8. 13. *Item ſurdum facit audire, & mutum loqui*. Marc. 7. 32. *Filium reguli de Capharnaum, incipientem mori ad vitam reduxit*. Joan. 4. 46. *Fluxum ſanguinis in muliere hemorrhoiſſa ceſſare fecit tactu fimbriæ*. Matth. 9. 20. Marc. 5. 25. Luc. 8. 43. &c.

*Tempeſtate valida in mari, ipſo dormiente commota imperavit ventis, ſtatimque venti & mare obediunt ei*. Matth. 8. 24

*Ambulavit diſcipulis admirantibus ſupra mare, & Petrum ambulare fecit ſuper eodem, & incipientem mergi, manu extenſa ſalvavit*. Ibid. 14. 25

*Pulcrum miraculum oſtendit Chriſtus tribus illis diſcipulis dum coram ipſis transfiguraretur*. Ibid. 17 2. Vide & Marc. 9. 1. Luc. 9. 28

*Item quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiavit, & ſublati fuerunt duodecim cophini*. Ibid. 14. 19. Vide & Joan. 6. 10. Luc. 9. 10. Marc. 6. 43

*Quatuor millia hominum alia vice refecti de ſeptem panibus & paucis piſciculis; ſuperfuerunt ſeptem ſportæ*. Marc. 8. 5. Vide & Matth. 15. 32

*Chriſtus ficum, habentem folia ſine fructu, maledixit, & continuo aruit*. Matt. 21. 19. Marci 11. 13

*Auriculam per Petrum ſervo principis amputatam benigne reſtituit, & Petrum ſuper hoc increpavit*. Luc. 22. 50

*Cum Salvator penderet in cruce, a ſexta hora diei uſque ad horam nonam tenebræ factæ ſunt per univerſam terram, luna exiſtente decima quinta, & in parte cæli oppoſita, ita ut ſol per illam nullatenus potuerit eclypſari. Et velum templi ſciſſum eſt & monumenta aperta &c*. Matth. 27. 45. v. 51. ſeqq.

*Reſurgente Domino* terræ motus factus magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo: & accedens, revolvit lapidem &c. Ibid. 28. 2

*Chriſtus intrat ad diſcipulos congregatos januis clauſis*. Joan. 20. 1

*Apparuit Jeſus diſcipulis ad mare Tyberiadis, ubi ad præceptum ejus mittentes rete in mare, impletum eſt illud magnis piſcibus centum quinquaginta tribus, & cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete*. Ibid. 21. 1

*Tandem Chriſtus, Salvator mundi, poſtquam quadraginta dies poſt reſurrectionem ſuam apparuerat diſcipulis, increpans eos & inſtruens, elevatus eſt in cælum, videntibus illis & mirantibus*, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Luc. 24. 50. & Actor. 1. v. 2

Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus, *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros*. Joa. 20. 30. Cap. 21. 25

*Miro modo fuit magnum miraculum de effuſione Spiritus ſancti ſuper diſcipulos in die Pentecoſtes. Unde fuerunt ita roborati, conſolidati, & illuſtrati*. Actor. 2

*Miracula Apoſtolorum.*

*Videns Petrus hominem claudum juxta portam ſpecioſam templi, dixit ei:* In nomine Jeſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu ejus dextera, allevavit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes ejus, & plantæ, &c. Actor. 3. 6

*Angelus Domini per noctem Apoſtolos incarceratos eduxit, & carcerem recluſit*. Ibid. 5. 18

*In plateis ponebant infirmos in lectis & grabatis*, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum --- Concurrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Jeruſalem, afferentes ægros, & vexatos a ſpiritibus immundis: qui curabantur omnes. eod. c. v. 15

*Prædicante Philippo in Samaria, multi qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magna exibant. Multi etiam paralytici & claudi curati ſunt*. Ibid. 8. 7

Invenit autem ibi (*Petrus*) hominem quemdam, nomine Æneam, ab annis octo jacentem in grabato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Ænea ſanat te Dominus Jeſus Chriſtus: ſurge, & ſterne tibi; & continuo (*ſanatus*) ſurrexit. Ibid. 9. 33

Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit: & converſus ad corpus (*mortuum Thabitæ*) dixit: Tabitha ſurge! At illa aperuit oculos ſuos: & viſo Petro, recedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cùm vocaſſet Sanctos & Viduas, aſſignavit eam vivam. Eod. c. v. 40

*Deſcribitur etiam admiranda Sauli perſecutoris converſio Domino ei apparente, qui Saulus, dum iret Damaſcum ad capiendum Chriſti diſcipulos, cæleſti lumine circumdatus & in terram proſtratus eſt: ſed interius illuſtratus, quamvis exterius obcæcatus*. Eod. cap.

*Petrum incarceratum, catenis duabus vinctum, & a ſedecim militibus diligentiſſime cuſtoditum Angelus Domini ſolutum eduxit, & porta ferrea ultro aperta eſt eis*. Ibid. 12. 6

*Elymam magum, Pſeudo-Prophetam Judæum Paulus privavit lumine oculorum, eo quod ipſe proconſulem Paulum a fide avertebat, & Apoſtolis Verbum Dei prædicantibus reſiſtebat*. Ibid. 13. 8

*In civitate Lyſtris erat quidam vir claudus ex utero matris ſuæ, qui nunquam ambulaverat, quem intuens Paulus*, quia fidem haberet, ut ſalvus fieret, dixit magna voce: Surge ſuper pedes tuos rectus. Et exilivit, & ambulabat. Ib. 14. 7





*Puella quædam habens ſpiritum pythonem, magnum quæſtum præſtabat Dominis ſuis divinando. Hæc ſequebatur Paulum & Silam, clamans & dicens*: Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt. *Paulus autem* ſpiritui dixit: Præcipio tibi in nomine Jeſu Chriſti exire ab ea. Et exivit eadem hora. Actor. 16. v. 16

*Cum eſſent Paulus & Silas in carcere laudantes Dominum*; Subito vero terræ motus factus eſt magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris. Et ſtatim aperta ſunt omnia oſtia: & univerſorum vincula ſoluta ſunt, *& cuſtos carceris converſus*. Eod. c. v. 26

*Virtutes non modicas faciebat Deus per manus Pauli, ita ut etiam ſuper languidos deferentur a corpore ejus ſudaria, vel ſemicinctia, & recedebant ab eis languores, & ſpiritus nequam egrediebantur*. Ibid. 19. 15

*Quidam Judæi* tentaverunt --- invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini Jeſu, dicentes: Adjuro vos per Jeſum, quem Paulus prædicat. Reſpondens autem ſpiritus nequam, dixit: Jeſum novi, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis? Et inſiliens in eos homo, in quo erat dæmonium, *dominatus eſt eorum ita, ut nudi & vulnerati effugerent*. Eod. c. v. 13

*Una Sabbati Paulus diſputans protraxit ſermonem uſque ad mediam noctem*. Sedens autem quidam adoleſcens --- ſuper feneſtram, cum mergeretur ſomno gravi --- cecidit de tertio cænaculo deorſum, & ſublatus eſt mortuus. Ad quem cum deſcendiſſet Paulus, incubuit ſuper eum --- adduxerunt autem puerum viventem & conſolati ſunt non minime. Ibid. 20

*Tempore hyemali, cum evaſiſſent Paulus & ſocii ejus de confracta navi, & calefacerent ſe ad ignem*, vipera a calore cum proceſſiſſet, invaſit manum Pauli, *quam ille excutiens in ignem, nihil mali paſſus fuit, cum tamen crederetur ab hominibus regionis illius illico moriturus*. Ibid. 28. 3

*Patrem Publii, febribus & dyſſenteria laborantem Paulus facta oratione, & manuum impoſitione ſanavit*. Quo facto omnes, qui in inſula illa habebant infirmitates, accedebant & curabantur. Eod. c. v. 9

*Miracula quæ operatur Deus per ſanctos & eorum Reliquias. Vide Sancti, & Reliquiæ,*
*Miracula in Eccleſia neceſſaria. Vide Eccleſia.*

## TITULUS XX.

*Miſericordia.*
*Miſericordia Dei. Vide Bonitas, item Caritas Dei.*
*Miſericordia Dei eſt generalis, nullum excludendo.*

*Miſericors fuit Deus erga Cain, dum poſuit ei ſignum, ut non interficeret eum omnis, qui inveniſſet eum*. Gen. 4. 15

*Miſericors fuit Deus erga Noe, dum eum liberavit a diluvio, conſequenter erga totum humanum genus ut non funditus periret*. Ibid. 7

*Adeo fuit Deus miſericors erga Sodomitas, ut ſi in eorum civitatem decem tantum juſtos inveniſſet, omnibus peperciſſet*. Ibid. 18. 32

*Sic etiam miſericors fuit Deus erga Loth & ſuos, dum ipſos per Angelos de Sodomitis & flamma ignis eripuit*. Ibid. 19. 15

*Miſericors Deus erga populum Iſraeliticum, dum eum liberavit e dura ſervitute Ægyptiaca*. Exod. 14

*Sic erga eumdem populum, dum e captivitate Babylonica eripuit, & in patriam reduxit miſericors Deus*. 1. Eſdr. 1

Miſerebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. Exod. 33. 19

Dominator Domine Deus, miſericors, & clemens, patiens & multæ miſerationis, ac verax. Qui cuſtodis miſericordiam in millia; qui aufers iniquitatem, & ſcelera, atque peccata, nulluſque apud te per ſe innocens eſt. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam & quartam progeniem. Exod. 34. 6. Jerem. 32. 18

Ego enim ſum Dominus Deus tuus --- & faciens miſericordiam in multa millia, diligentibus me, & cuſtodientibus præcepta mea. Deut. 5. 9

Et ſcies quia Dominus Deus tuus, ipſe eſt Deus fortis & fidelis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus ſe, & his qui cuſtodiant præcepta ejus, in mille generationes. Ibid. 7. 9

*Miſericors Deus erga David, qui vix pœnitenti corde illam vocem pronuntiavit*: Peccavi Domino: *& mox a Propheta Nathan audivit*: Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum. 2. Reg. 12. 13

*Erga Manaſſen, cui poſt immania flagitia dedit gratiam, quâ* egit pœnitentiam valde coram Deo Patrum ſuorum. 2. Paral. 33. 12

Miſericordia Domini plena eſt terra. Pſal. 32. 5

Et tu Domine Deus miſerator & miſericors, patiens & multæ miſericordiæ. Ibid. 85. 15. Vide etiam v. 5

Miſerator & miſericors Dominus, &c. Ibid. 144. 8

Suavis Dominus univerſis: & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Ibid. v. 9

Tu autem Deus noſter, ſuavis & verus es, patiens, & in miſericordia diſponens omnia.

Etenim ſi peccaverimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam: & ſi non peccaverimus, ſcimus, quoniam apud te ſumus computati. *Sap.* 15. 1

Miſeratio hominis circa proximum ſuum: miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem. *Eccli.* 18. 12

Et præparabitur in miſericordia ſolium. *Iſa.* 16. 5

*Miſericors Deus erga Ninivitas, quibus propter inſignem pœnitentiam condonavit excidium a Propheta Jona prædictum. Reprehendit etiam Prophetam Jonam, quaſi dolentem de ipſius erga Ninivitas miſericordia. Jonæ* 3. 10. *Vide totum caput quartum.*

*Miſericors fuit Chriſtus erga Matthæum, quem e telonio ad Apoſtolatum vocavit. Matth.* 9. 9

Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cælis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis. *Matth.* 18. 14

*Miſericors Chriſtus erga Magdalenam, cui, licet eſſet* in civitate peccatrix, *non tantum omnia peccata remiſit, ſed illam etiam ad magnam ſanctitatem provexit. Luc.* 7. 37

*Miſericors erga Zachæum Publicanum, ad quem ſe ultro invitavit, & ſalutem in ejus domum intulit. Ibid.* 19. 5

*Erga latronem in cruce, cui plus conceſſit, quam ille petierat. Ibid.* 32. 42

*Erga feminam adulteram, quam non tantum eripuit e manibus Scribarum & Phariſæorum, qui illam in adulterio deprehenſam volebant lapidare, ſed etiam a ſuo divino judicio & condemnatione abſolvit. Joan.* 8. 3

*Erga Petrum, quem poſt trinam condonatam negationem in gradum priſtinum reſtituit. Ibid.* 21. 15

*Erga Paulum, ad quem de cælo locutus, ut eum converteret, & ex perſecutore magnum Apoſtolum faceret: quam miſericordiam Paulus ipſe deprædicat in Epiſtola prima Actor.* 9. 8. ad Timotheum 1. v. 12. ſeq.

*Erga peccatores omnes. Hinc communis de Chriſto ſermo:* Hic peccatores recipit. *Qui Salvator noſter non dubitavit crudeliſſima ſupplicia, & acerbiſſimam mortem pati, ut nos ab interitu liberaret. Luc.* 15. 2

Deus autem, qui dives eſt in miſericordia, propter nimiam caritatem ſuam, qua dilexit nos, &c. *Epheſ.* 2. 4

*Miſericordiam Dei Chriſtus nobis per varias parabolas propoſuit, ut:*

*Regis, qui ſervo ſuo decem millium talentorum debitori totum debitum dimiſit, cum hic in genua procidens rogaſſet. Matth.* 18. 23

*Samaritani, qui cum vidit hominem a latronibus vulneratum,* miſericordia motus --- alligavit vulnera ejus. *Luc.* 10. 33

*Boni paſtoris, qui errantem oviculam per deſertum quærit, inventam humeris imponit, & ad ovile reportat. Ibid.* 15. 4. Matth. 18. 12

*Filii prodigi, qui ad Patrem reverſus, benigniſſime ab eo fuit exceptus. Ibid.* 15. 10

*Miſericordia Dei eſt ſalutaris, mœrentes conſolando.*

Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te. *Pſal.* 32. 22

Quoniam tu Domine ſuavis & mitis. *Ibid.* 85. 5. Joel. 2. 13

Quoniam ſecundum altitudinem cæli a terra, corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. *Ibid.* 102. 11

Quomodo miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt Deus timentibus ſe. *Ibid. v.* 13

Quoniam gratia Dei, & miſericordia eſt in Sanctos ejus, & reſpectus in electos illius. *Sap.* 4. 15

Specioſa miſericordia Dei, in tempore tribulationis, quaſi nubes pluviæ in tempore ſiccitatis. *Eccli.* 35. 26

Miſerationum Domini recordabor. *Iſa.* 63. 7

Et nunc Domine, Pater noſter es tu, nos vero lutum: & fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos. *Ibid.* 64. 8

Quomodo ſi cui mater blandietur, ita ego conſolabor vos. *Ibid.* 66. 13

Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, *Ibid. v.* 14

Benedictus Deus & Pater &c. 2. *Cor.* 3. *Vide Conſolatio.*

*Peccantes exſpectando. Vide Longanimitas.*

Sed miſereris omnium --- & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. *Sap.* 11. 24

Propterea expectat Dominus, ut miſereatur veſtri. *Iſa.* 30. 18

Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, &c. *Ibid.* 65. 2

Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, revertimini, & vivite. *Ezech.* 18. 32. *Vide v.* 23. Cap. 33. 11

Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare. *Luc.* 9. 56. Joan. 3. 17. 12. 47

*Deus* patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. 2. *Petr.* 3. 9

*Revertentes ſuſcipiendo.*

Pius enim & clemens eſt Dominus Deus veſter, & non avertet faciem ſuam a vobis, ſi reverſi fueritis ad eum. 2. *Paral.* 30. 9

Domi-



Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum ſuorum. *Ibid. v.* 18

Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum. Secundum enim magnitudinem ipſius, ſic & miſericordia illius cum ipſo eſt. *Eccli.* 2. 22

Quam magna miſericordia Domini, & propitiatio illius, convertentibus ad ſe? *Ibid.* 17. 28

Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper a te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui: dixit redemptor tuus Dominus. *Iſa.* 54. 7

Revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te. *Jerem.* 3. 1

*Miſericordiæ opera proximo exhibenda. Vide & Liberalitas & Eleemoſyna.*

Dixitque Saul Cynæo: Abite, recedite, atque deſcendite ab Amalec: ne forte involvam te cum eo: tu enim feciſti miſericordiam cum omnibus filiis Iſrael, cum aſcenderent de Ægypto. 1. *Reg.* 15. 6

Ea tempeſtate erat ibi Propheta Domini, nomine Obed: qui egreſſus obviam exercitui venienti in Samariam, dixit eis: Ecce iratus Dominus Deus patrum veſtrorum contra Judam, tradidit eos in manibus veſtris, & occidiſtis eos atrociter, ita ut ad cælum pertingeret veſtra crudelitas. 2. *Parap.* 28. 9. Steteruntque viri, quos ſupra memoravimus, & apprehendentes captivos, omneſque qui nudi erant, veſtierunt de ſpoliis: cumque veſtiſſent eos & calceaſſent, & refeciſſent cibo ac potu, unxiſſentque propter laborem, & adhibuiſſent eis curam: quicumque ambulare non poterant, & erant imbecillo corpore, impoſuerunt eos jumentis, & adduxerunt Jerico civitatem palmarum ad fratres eorum, ipſique reverſi ſunt in Samariam. Ibid. v. 15

*Pium & miſericordem ſe fuiſſe teſtatur Job, dicens:* Et Cor viduæ conſolatus ſum. *Job.* 29. 13. *&c.*

Pater eram pauperum: *Job.* 29. 16. Si comedi bucellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea; quia ab infantia mea crevit mecum miſeratio. *Item* 31. 17

Jucundus homo qui miſeretur & commodat: diſponet ſermones ſuos in judicio, quia in æternum non commovebitur. Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi: cornu ejus exaltabitur in gloria. *Pſal.* 111. 5

Qui deſpicit proximum ſuum, peccat: qui autem miſeretur pauperis, beatus erit. *Prov.* 14. 21. 31. Cap. 19. 7. 25. 21

Animam eſurientem ne deſpexeris: & non exaſperes pauperem in inopia ſua. *Eccli.* 4. 2. v. 29

Non deſpiciet preces pupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitus. *Ibid.* 35. 17. v. 18

Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagoſque induc in domum tuam: cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. *Iſa.* 58. 7. Ezech. 18. 7. 16

Indicabo tibi o homo quid ſit bonum, & quid Dominus requirat a te: utique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo. *Mich.* 6. 8

Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Judicium verum judicate, & miſericordiam & miſerationem facite, unuſquiſque cum fratre ſuo. *Zach.* 7. 9

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. *Matth.* 5. 7

Euntes autem dicite, quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. Non enim veni vocare juſtos, ſed peccatores. *Ibid.* 9. 13. Oſeæ 6. 6

Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet. *Ibid.* 10. 41. Marc. 9. 41. *Idem.*

Nonne ergo oportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut ego tui miſertus ſum. *Ibid.* 18. 33

Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus. Eſurivi enim, &c. *Ibid.* 25. 41

Verumtamen diligite inimicos veſtros: benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa, & eritis filii Altiſſimi, quia ipſe benignus eſt ſuper ingratos & malos. *Luc.* 6. 35

Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ſecus eum: & videns eum, miſericordia motus eſt. *Ibid.* 10. 33. Rom. 12. 13

Induite vos ergo ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, &c. *Coloſſ.* 3. 12. 1. Tim. 5. 10. *Vide Eleemoſyna.*

## TITULUS XXI.

### *Miſſæ Sacrificium.*

*Miſſæ ſacrificium olim prædictum & prænuntiatum.*

Reſpiciam vos, & creſcere faciam: multiplicabimini, & firmabo pactum meum vobiſcum. Comedetis vetuſtiſſima veterum, & vetera novis ſupervenientibus projicietis. Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus veſter, voſque eritis populus meus. *Levit.* 26. 9

Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus eos, qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quam præclarus eſt! *Pſal.* 22. 5

Jura-

Juravit Dominus & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. *Pſal.* 109. 4. Hebr. 5. 6. 7. 17

Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini, in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem. *Iſa.* 2. 2. Micheæ 4. 1

In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti: & titulus Domini juxta terminum ejus. Et erit in ſignum & in teſtimonium Domini exercituum in terra Ægypti. *Ibid.* 19. 19

Et cognoſcetur Dominus ab Ægypto (*id eſt Gentibus*) &c. & colent eum in hoſtiis & in muneribus, &c. *Eod. c.* v. 21

Et auferent juge ſacrificium: & dabunt abominationem in deſolationem. *Dan.* 11. 31

Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo; quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis. *Iſa.* 56. 7

Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini: miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis: Fortitudinem gentium comedetis, & in gloria earum ſuperbietis. *Ibid.* 61. 6

Et ponam in eis ſignum, & mittam ex eis qui ſalvati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tendentes ſagittam, in Italiam & Græciam, in Inſulas longe, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam Gentibus, & adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus Domum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem ſanctum meum Jeruſalem, dicit Dominus, quomodo ſi inferant filii Iſrael munus in vaſe mundo in domum Domini. Et aſſumam ex eis in ſacerdotes & Levitas, dicit Dominus. *Ibid.* 66. 19

Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iſrael & domui Juda fœdus novum, &c. *Jerem.* 31. 31. Hebr. 8. 8

In diebus illis ſalvabitur Juda, & Jeruſalem inhabitabit confidenter; & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Dominus juſtus noſter. Quia hæc dicit Dominus: Non interibit de David vir qui ſedeat ſuper thronum domus Iſrael. Et de ſacerdotibus & de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat ſacrificium, & cædat victimas omnibus diebus *Ibid.* 33. 16

Et auferent juge ſacrificium, & dabunt abominationem in deſolationem. *Dan.* 11. 31

Et a tempore cum ablatum fuerit juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta. *Ibid.* 12. 11

In die illa ſuſcitabo tabernaculum David, quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea, quæ corruerant, inſtaurabo: & reædificabo illud ſicut in diebus antiquis. *Amos* 9. 11.

Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito? non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum. *Malach.* 1. 10

*Miſſa ſacrificium per varias figuras veteris teſtamenti ſignificatum eſt.*

AT vero Melchiſedech Rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim ſacerdos Dei Altiſſimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creavit cælum & terram. *Gen.* 14. 18. Hebr. 7. 1. 3

Levavit Abraham oculos ſuos, viditque poſt tergum arietem inter vepres hærentem cornibus, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio. *Ibid.* 22. 13

Erit autem agnus abſque macula, maſculus, anniculus: juxta quem ritum tolletis & hœdum *Exod.* 12. 5. Cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi & filiis tuis uſque in æternum. v. 24

Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper. *Ibid.* 25. 30

Sed & hæc facies, ut mihi in ſacerdotio conſecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos, paneſque azymos, & cruſtulam abſque fermento, quæ conſperſa ſit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de ſimila triticea cuncta facies. *Ibid.* 29. 1. Unum quoque arietem ſumes, ſuper cujus caput ponet Aaron & filii ejus manus. Ibidem v. 15. Levit 2. 1. 11

Maſculum immaculatum offeret ad oſtium tabernaculi teſtimonii, ad placandum ſibi Dominum: ponetque manum ſuper caput hoſtiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens. *Levit.* 1. 3

Si peccaverit Princeps, & fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, & poſtea intellexerit peccatum ſuum, offeret hoſtiam Domino; hircum de capris immaculatum. *Ibid.* 4. 22

Sin autem non poterit offerre pecus, offerat duos turtures, vel duos pullos columbarum — dabitque eos ſacerdoti. *Ibid.* 5. 7

Tol-



Tollet ſacerdos pugillum ſimilæ, quæ conſperſa eſt oleo, totum thus quod ſuper ſimilam poſitum eſt: adolebitque illud in altari, in monimentum odoris ſuaviſſimi Domino. *Lev.* 6. 15 cap. 9. 8

Præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos paſſeres vivos pro ſe, quibus veſci licitum eſt, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyſſopum, &c. *Ibid.* 14. 4

Vitulum pro peccato offeret, & arietem in holocauſtum. *Ibid.* 16. 3

Pro delicto autem ſuo offeret Domino ad oſtium tabernaculi teſtimonii, arietem, &c. *Ib.* 19. 21

Offeret vitulum de armento, holocauſtum in odorem ſuaviſſimum Domino, & ſacrificium ejus, ac liba, ut cæremoniæ poſtulant, hircumque pro peccato. *Num.* 15. 24. c. 18. 17

Et reſpondens ſacerdos ad David ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantum panem ſanctum: ſi mundi ſunt pueri, maxime a mulieribus? 1. *Reg.* 21. 4. 3. Reg. 19. 6. 4. Reg. 4. 42

*Appellatur juge ſacrificium.*

RObur autem datum eſt ei contra juge ſacrificium propter peccata: & proſternetur veritas in terra, & faciet, & proſperabitur. Dan. 8. 12

Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent ſanctuarium fortitudinis, & auferent juge ſacrificium: & dabunt abominationem in deſolationem. *Ibid.* 11. 31

Et a tempore cum ablatum fuerit juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta. *Ibid.* 12. 11

*Nec interibit offerens ſacrificium.*

ET de Sacerdotibus & de Levitis non interibit vir a facie mea, qui offerat holocautomata, & incendat ſacrificium, & cædat victimas omnibus diebus. *Jer.* 33. 18. Et pactum meum irritum eſſe poterit cum David ſervo meo, ut non ſit ex eo filius, qui regnet in throno ejus, & Levitæ & ſacerdotes miniſtri mei. Ibid. v. 21.

*Miſſa ſacrificium a Chriſto inſtitutum.*

ET accepto pane (*Chriſtus*) gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. *Luc.* 22. 19

Pro vobis datur *διδόμενον, datum in præſenti vel præterito, ergo Corpus Chriſti debuit de facto eſſe victima, non immolanda, ergo immolata, & conſequenter tunc fuit ſacrificium. Et licet Marcus & Matthæus, ille c.* 14. 22. *hic c.* 26. *poſuerint futurum verbum, tamen hoc ut præteritum intelligi debere ratio convincit; quia quod necdum immolatum eſt, non poteſt referre rationem comeſtibilis, ut victima; nec aptum eſſe, ut ſit cibus & potus; ſed Chriſtus in hac cœna referebat rationem comeſtibilis, & vere cibus & potus erat; ergo jam erat immolatus: non in cruce, quod poſtea ſecutum eſt; ergo per incruentum ſacrificium, quod cruentum Crucis anteceſſit.*

Hoc facite in meam commemorationem: *quod* facere *in Scriptura ſacra ſæpiſſime idem ſit ac ſacrificare, Vide ſupra p.*188. in Lit. F. *facere, & ſupple:*

Omnis cœtus filiorum Iſrael faciet illud: *id eſt, immolabit, confer verſum 6. hujus capitis.* *Exod.* 12. 47

*Repetitur verbum iſtud facere pro immolare. Eod. cap. v.*48

Facietis & hircum pro peccato, duoſque agnos anniculos hoſtias pacificorum. *Lev.* 23. 19

Juravit Dominus & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. *Pſal.* 109. 4. *Confer* Hebr. 5. v. 6. & 10. c. 7. 17. *atqui Melchiſedech Sacerdos Dei Altiſſimi panem & vinum in Sacrificium obtulit. Ergo etiam Chriſtus in ultima cœna (de nullo alio tempore dici hoc poteſt) ſub ſpeciebus panis & vini Corpus & Sanguinem obtulit.*

*Protuliſſe Melchiſedecum panem & vinum ad milites Abrahami, certum eſt ex Cap.* 14. *Gen. v.* 18. *Sed non ut eos cibaret, quia jam comederant, & ſaturi erant ex cibariis acceptis Sodomorum, ut habetur v.* 24. *Ergo panem & vinum ſanctificatum protulit, ut ea primum in ſacrificium oblata militibus divideret non ad famem ſublevandam, ſed ut ſacrificii hujus participes efficeret, qui ſenſus probatur ex verbis immediate ſequentibus:* erat enim ſacerdos Dei. *Ergo & Chriſtus ſic ſacrificium obtulit, &* hoc facite in meam commemorationem, *præcepit.*

*Et ab ejus Diſcipulis uſitatum.*

MIniſtrantibus autem illis Domino, & jejunantibus &c. *Actor.* 13. 2. (*λειτουργούντων, ſacrificantibus ipſis.*)

*Et a S. Paulo confirmatum.*

CAlix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt? 1. *Cor.* 10. 16

Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? *Ibid.* v. 18. NB. *Triplicem menſam ſeu Altare Apoſtolus agnoſcit, Judæorum, Gentilium, & Chriſtianorum. Confer etiam* Hebr. 13. 10. Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſerviunt. *Si ergo altare habemus, neceſſe eſt ut habeamus & ſacrificium; & cum ex altari, non ex cruce victimam ſumamus, ſequitur victimam eſſe ſacrificii incruenti, quod fit per conſecrationem Euchariſticam.*

Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſe eſt ut & legis tranſlatio fiat. *Ergo & tranſlatio ſacrificii neceſſaria eſt, nam ſacerdotium & ſacrificium inſeparabiliter connexa ſunt. Et quidem ſacrificium* per-

*perpetuum, uti ſacerdotes perpetui. Et ſicut in lege Moſayca ſacerdotes habebant ſacrificium crucis ut futurum; & tamen ſua propria beſtiarum & ſimilia quæ futurum crucis præſentabant, ſic in lege Chriſti peracto ſemel ſacrificio cruento crucis, ſacrificium habere quoddam debemus, quod præteritum crucis ſacrificium repræſentet. Hebr. 7. 12. Vide Tit. Sacerdotes.*

Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Jeſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem, &c. *1. Cor. 11. 23*

Quemadmodum & in alio loco dicit: (*Pſal. 109.*) Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. *Hebr. 5. 6*

*Mobilitas populi. Vide Inconſtantia.*

## TITULUS XXII.

*Monachus.*

CUm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. *Deut. 23. 21. & Eccl. 5. 4*

Semita juſtorum declinat mala: cuſtos animæ ſuæ ſervat viam ſuam, *id eſt, animam: Prov. 16. 17*

Omnis enim, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam. *1. Cor. 9. 25. 2.* Tim. 2. 5

Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus: ut ei placeat, cui ſe probavit. *2. Tim. 2. 4*

*Morbus. Vide Ægrotatio.*

## TITULUS XXIII.

*Mors & Mortui.*

*Mors in genere.*

NEc poſſum in monte ſalvari, ne forte apprehendat me malum, & moriar. *Geneſ. 19. 19.* (*Si antiqui in V. T. mortem timebant, & longam vitam optabant, non erat mirum; nam ipſi non poterant adhuc in cælum aſcendere, nec divina perfrui viſione donec Salvator advenit, qui aperuit januam Paradiſi.*)

Moriatur anima mea morte juſtorum; *ſic etiam mali optant bene mori. Num. 23. 10*

*Noluit David flere pro filio mortuo, qui fleverat eo infirmo. 2. Reg. 12. 21*

Cumque veniſſet, & ſederet (*Elias*) ſubter unam juniperum, petivit animæ ſuæ, ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam, neque enim melior ſum, quam patres mei. *3. Reg. 19. 4*

*Tobias audita reſponſione uxoris* ingemuit; & cœpit orare cum lacrimis, dicens: Juſtus es Domine &c. *Tob. 3. 1.* & præcipe in pace recipi animam meam; expedit enim mihi mori magis, quam vivere. Ibid. v. 6

*Sara, filia Raguelis, accepta ab una ancillarum gravi contumelia, oravit Dominum, dicens:* Peto Domine, ut de vinculo improperii hujus abſolvas me, aut certe deſuper terram eripias me. *Ibid.* v. 15

*Ezechias rex Juda ambulavit coram Domino, in veritate, & fuit bonus, tamen quando nuntiatum fuit ei per Iſaiam, quia mori deberet, oravit Dominum* fletu magno, *ut adhuc ei vitam prolongaret. Iſa. 38. 3*

Diſcipuli omnes, relicto eo, fugerunt. *Matth. 26. 56.* (*Ante adventum Spiritus ſancti nimis timuerunt mortem Apoſtoli, qui comprehenſo Domino, omnes eum reliquerunt: poſtquam vero fuerunt virtute ex alto roborati, ducti coram principibus & tyrannis fiducialiter loquebantur.*)

Non ſolum alligari, ſed & mori --- paratus ſum, propter nomen Domini Jeſu. *Act. 21. 13*

*Mors eſt pœna peccati.*

DE ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris. *Gen. 2. 17.* (*Et hæc ſcientia Dei quam maxime facta & vera eſt: nam homo ab utero matris, & per totam vitam quaſi vivens continue moritur.*)

In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris. *Ibid. 3. 19*

Propterea, ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom. 5. 12.* Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiæ & donationis, & juſtitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jeſum Chriſtum. Ibid. v. 17

Stipendia enim peccati, mors. *Ibid. 6. 23*

Quoniam quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, &c. *1. Cor. 15. 21*

Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt. *1. Tim. 5. 6*

Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: pecccatum vero, cum conſummatum fuerit, generat mortem. *Jac. 1. 15*





*Mors, & certus dies mortis omni homini conſtitutus eſt.*

C*Um tot annis vixerint homines ante diluvium, ſignanter tamen dicit Scriptura, poſt tempus deſcriptionis vitæ uniuſcujuſque:* & mortuus eſt. *Gen. 5*

Et ait Dominus ad Moyſen: Ecce prope ſunt dies mortis tuæ: voca Joſue, & ſtate in tabernaculo teſtimonii. *Deut. 31. 14*

En ego hodie ingredior viam univerſæ terræ, & toto animo cognoſcetis, quod de omnibus verbis, quæ ſe Dominus præſtiturum vobis eſſe pollicitus eſt, unum non præterierit incaſſum. *Joſue 23. 14.* 1. Reg. 26. 10. 3. Reg. 2. 2

Breves dies hominis ſunt, numerus menſium ejus apud te eſt: conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. *Job 14. 5*

Quis eſt homo, qui vivet & non videbit mortem: eruet animam ſuam de manu inferi? *Pſal. 88. 49*

Noli de mortuo inimico tuo gaudere: ſciens, quoniam omnes morimur, & in gaudium nolumus venire. *Eccli. 8*

Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum, nec habet poteſtatem in die mortis: nec finitur quieſcere ingruente bello, neque ſalvabit impietas impium. *Eccleſ. 8. 8*

Viventes enim ſciunt ſe eſſe morituros, mortui vero nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita eſt memoria eorum. *Ibid. 9. 5*

Numerum dierum & tempus dedit (*homini Deus*), & dedit illi poteſtatem eorum, quæ ſunt ſuper terram. *Eccli. 17. 3*

O mors, quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis! *Ib. 41. 1.* Joan. 7. 30. c. 8. 20

Propterea, ſicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt. *Rom. 5. 12*

Stipendia enim peccati, mors. *Ibid. 6. 23*

Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, poſt hoc autem judicium: ſic etiam Chriſtus ſemel oblatus eſt, &c. *Hebr. 9. 27*

*Mortis hora incertiſſima.*

NEſcit homo finem ſuum: ſed ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo ſupervenerit (*mors.*) *Eccleſ. 9. 12*

Illud autem ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtote parati: quia qua neſcitis hora Filius hominis venturus eſt. *Matth. 24. 43.* Idem Luc. 12. 39. habetur Marc. 13. 33

Et vos eſtote parati: quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. *Luc. 12. 40*

Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet. *1. Theſ. 5. 2.* 2. Theſ. 2. 2

Tu autem, quis es, qui judicas proximum? Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis, quid erit in craſtino? *Jac. 4. 13*

Adveniet autem dies Domini ut fur. *2. Petr. 3. 10*

Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tamquam fur, & neſcies, qua hora veniam ad te. *Apoc. 3. 3.* c. *16. 15*

*Mors juſtorum.*

CUmque eſſent in agro (*Cain & Abel*) conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum. *Geneſ. 4. 8. Rationem dat Joannes.* 1. Epiſt. 3. 12. *Quoniam opera Cain mala erant, Abel autem juſta.*

Ambulavitque (*Henoch*) cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus. *Ibid. 5. 24*

Et deficiens mortuus eſt (*Abraham*) in ſenectute bona, provectæque ætatis, & plenus dierum: congregatuſque eſt ad populum ſuum. *Ibid. 25. 8*

Et completi ſunt dies Iſaac centum octoginta annorum, conſumptuſque ætate mortuus eſt: & appoſitus eſt populo ſuo ſenex, & plenus dierum. *Ibid. 35. 28*

*Jacob* finitiſque mandatis, quibus filios ſuos inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum & obiit: appoſituſque eſt ad populum ſuum. *Ibid. 49. 32*

Cumque adjuraſſet eos (*Joſeph fratres ſuos*), atque dixiſſet: Deus viſitabit vos: aſportate oſſa mea vobiſcum de loco iſto. Mortuus eſt. *Ibid. 50. 24*

Aſcenderunt *Moyſes & Aaron juxta mandatum Domini* in montem Hor, coram omni multitudine. Cumque Aaron ſpoliaſſet ſe veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum filium ſuum, *& mortuus eſt. Num. 20. 27*

Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſervus Domini in terra Moab, jubente Domino: & ſepelivit eum *Dominus* &c. & non cognovit homo ſepulcrum ejus uſque in præſentem diem. *Deut. 34. 5*

Cumque pergerent --- (*ſimul Elias & Eliſæus*) ecce currus igneus, & equi ignei diviſerunt utrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cælum. *4. Reg. 2. 11*

*David poſt inſtructionem filii ſui Salomonis & orationem, quam fecit ad Dominum pro eo & pro*

*toto populo*, mortuus eſt in ſenectute bona: plenus dierum, & divitiis, & gloria. 1. *Par.* 29. 28.

*Vide de morte Tobiæ c.* 14. Job c. ult.

*Eleazarus poſt multa tormenta ſibi illata*, e vita deceſſit, non ſolum juvenibus, ſed & univerſæ genti memoriam mortis ſuæ ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens. 2. *Mach.* 6. 31

*Septem fratres cum pia matre finem vitæ miro modo fecerunt. Et potes invenire multa virtutis exempla. c.* 7. *per tot.*

Factum eſt autem ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. *Luc.* 16. 22

*Stephanus inter lapides videns cælos apertos &c.* obdormivit in Domino. *Actor.* 7. 55

*Mors corporis juſtis eſt dormitio & quaſi ſomnus.*

DIxitque Dominus ad Moyſen; Ecce tu dormies cum patribus tuis, & populus iſte conſurgens fornicabitur poſt deos alienos in terra, ad quam ingreditur, ut habitet in ea: ibi derelinquet me, & irritum faciet fœdus, quod pepigi cum eo. *Deut.* 31. 16

Cumque completi fuerint dies tui ( *David* ) & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum ( *filium tuum* ) poſt te quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. 2. *Reg.* 7. 12. Sap. 3. 3. *Idem* Actor. 13. 36

Dormivit igitur David cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate David. 3. *Reg.* 2. 10. Cap. 11. 21

Dormivitque Salomon cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in civitate David patris ſui, regnavitque Roboam filius ejus pro eo. *Ibid.* 11. 43

Dies autem, quibus regnavit Jeroboam, viginti duo anni ſunt, & dormivit cum patribus ſuis. *Ibid.* 14. 20

*Dicebat Jeſus veniens in domum principis*: Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. *Matt.* 9. 24

Et poſt hæc dixit eis (*diſcipulis ſuis*): Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado, ut a ſomno excitem eum. *Joan.* 11. 11

Poſitis autem genibus, clamavit (*Stephanus*) voce magna, dicens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixiſſet, obdormivit in Domino. *Actor.* 7. 59

Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. 1. *Cor.* 11. 30

Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & ceteri qui ſpem non habent, &c. 1. *Theſſ.* 4. 12

*Mortem noſtram, ſua morte devicit Chriſtus.*

MOrte turpiſſima condemnemus eum. *Sap.* 2. 20

Præcipitabit mortem in ſempiternum: & auferet Dominus Deus lacrimam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de univerſa terra: quia Dominus locutus eſt. *Iſa.* 25. 8. Rom. 6. 9

Et nunc hæc dicit Dominus --- Noli timere, quia redemi te, &c. *Ibid.* 43. 1

Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, &c. *Ib.* 53. 5

Et ipſe peccata multorum tulit. *Ibid.* v. 12

Et cum ſceleratis reputatus eſt. *Ibid.* 53. 12

De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua o mors, morſus tuus ero inferne: conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis. *Oſea* 13. 14

Cum autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria. 1. *Cor.* 15. 54

Caritas enim Chriſti urget nos; æſtimantes hoc quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. 2. *Cor.* 5. 14

Deus autem, qui dives eſt in miſericordia propter nimiam caritatem ſuam qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos in Chriſto, cujus gratia eſtis ſalvati, & conreſuſcitavit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Jeſu. *Epheſ.* 2. 4

Manifeſtata eſt autem nunc per illuminationem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium. 2. *Tim.* 1. 10 Hebr. 2. 14

Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu. 1. *Petr.* 3. 18

Et abſterget Deus omnem lacrimam ab oculis eorum: & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt. *Apoc.* 21. 4

*Mors gratia vitia extirpat.*

QUid ergo dicemus? permanebimus in peccato, ut gratia abundet? Abſit. Qui enim mortui ſumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? An ignoratis &c. *Rom.* 6. 1

Ita & vos exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo, in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis concupiſcentiis ejus. *Ibid.* v. 11

Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes. 2. *Cor.* 4. 10

Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum; ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. *Ibid.* v. 11





Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Chriſtus. *Galat.* 2. 20

Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. *Coloſſ.* 3. 5

*Vitam præſtat.*

SI enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis ejus: ſimul & reſurrectionis erimus. *Rom.* 6. 5

Si autem mortui ſumus cum Chriſto: credimus, quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto, &c. *Ibid.* v. 8

Mortui enim eſtis, & vita veſtra eſt abſcondita cum Chriſto in Deo. Cum Chriſtus apparuerit, vita veſtra: tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. *Coloſſ.* 3. 3

Nam ſi commortui ſumus, & convivemus: ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus. 2. *Tim.* 2. 11

*Mors malorum.*

C*Ain, qui occidit fratrem ſuum, occiſus eſt a Lamech. Gen.* 4. 23

Dominus pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem a Domino de cælo: & ſubvertit *quinque civitates, deteſtabili peccato fœtentes. Ibid.* 19. 24

*Sichem filius Emor, qui oppreſſit Dinam, filiam Jacob, interfectus eſt a filiis Jacob, & omnis civitatis populus. Ibid.* 34. 25

*Aquæ maris rubri operuerunt currus & equites cunctos exercitus Pharaonis, nec unus quidem remanſit; (& quidem ſatis juſte) ut cujus cor non potuit emolliri, corpus ejus in aquis totaliter mergeretur. Exod.* 14. 28

*Iſraelitæ in deſerto murmurantes, & diverſa committentes peccata variis mortibus interierunt, ita ut de ſexcentis millibus hominum pugnatorum duo tantum, Joſue ſcilicet & Caleb, terram promiſſionis intraverint. Ibid.* 32. 28. Num. 11. 33. 14. 15. Deut. 1. 35

*Nadab & Abihu filii Aaron, offerentes ignem alienum coram Domino, devorati ſunt ab igne Domini, & mortui. Lev.* 10. 1

*Præcepto Domini filii Iſraël eduxerunt blaſphemum extra caſtra, ac lapidibus obruerunt. Ibid.* 24. 14

*Core, Dathan, & Abiron, ac eorum complices, Moyſi rebellantes*, Deſcenderuntque vivi in infernum, operti humo. *Num.* 16. 33

*Quoniam Achan tulit furtive de anathemate Jericho*, Lapidavitque eum omnis Iſrael: & cuncta, quæ ejus erant, igne conſumpta ſunt. *Joſue* 7. 25

*Comprehenderunt filii Iſrael Adonibezec, ac* cæſis ſummitatibus manuum ejus ac pedum (*uti fecerat ipſe ſeptuaginta regibus*) Adduxeruntque eum in Jeruſalem, & ibi mortuus eſt. *Judic.* 1. 6

Tulit itaque Jahel, uxor Haber clavum tabernaculi, -- & defixit in cerebrum (*Siſaræ*), -- qui ſoporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt. *Ibid.* 4. 21

*Si Zebee & Salmana ſervaſſent fratres Gedeonis, pepercisset eis Gedeon, ſed quia eos occiderunt, etiam ipſi a Gedeone occiſi fuerunt. Ibid.* 8. 19

*Cum audiſſet Heli, Arcam Domini eſſe captam*, cecidit de ſella retrorſum juxta oſtium, & fractis cervicibus mortuus eſt. 1. *Reg.* 4. 18

*Superbum Goliath & blaſphemum, David puer inermis, non habens uſum armorum, gladio illius proprio interfecit. Ibid.* 17. 51

*Adoleſcens, qui dixit ſe Saul occidiſſe, jubente David occiſus eſt, cum putabat proſpere nuntiare.* 2. *Reg.* 1. 23

*Simile accidit duobus latronibus, qui caput Isboſeth, filii Saul attulerant. Ibid.* 4. 11

*Primogenitus David oppreſſit ſororem ſuam Thamar, & paullo poſt occiſus eſt, jubente Abſalom fratre ſuo, cum comederet cum eo. Ibid.* 13. 29

*Libidine dominandi Abſalom multum afflixit patrem ſuum David, ſed antequam aſſecutus eſſet propoſitum, ſuſpenſus fuit* inter cælum & terram. *Ibid.* 18. 9

*Seba filius Bochri concitavit populum contra David, & fugiens in Abelam civitatem, ubi putabat habere refugium & auxilium, decapitatus fuit ibidem. Ibid.* 20. 22

*Quamvis Joab fuiſſet miles ſtrenuus & fidelis, quia tamen occidit duos viros proditorie, juſſus eſt occidi monente Salomone.* 3. *Reg.* 2. 29

*Vulneratus in bello Achab mortuus eſt veſperi*, & linxerunt canes ſanguinem ejus *in eodem loco, in quo linxerunt ſanguinem Naboth, qui, diſſimulante ipſo Achab, cum liberare eum deberet, & poſſet, lapidatus & mortuus eſt. Ibid.* 22. 38

*Cum aſcenderet Eliſeus in civitatem Bethel, quidam pueri male educati illudebant ei*, egreſſique ſunt duo urſi de ſaltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. 4. *Reg.* 2. 23

*Unus de duobus, qui aderant cum rege Iſrael, noluit credere verbis Eliſei, futuram abundantiam prædicentis, in craſtino vero* conculcavit eum *turba hominum, ad ſpolia concurrentium*, & mortuus eſt. *Ibid.* 7. 20

*Benadad, rex Syriæ, qui multa mala intulit filiis Iſrael, fuit demum ab Azael filio jugulatus. Ibid.* 8. 15

*Videns Jehu Jezabel impiam, quæ fuit cauſſa malorum, juſſit eam præcipitari deorſum, quæ fuit ita equorum ungulis conculcata, ut licet eſſet filia regis, non fuit tradita ſepulturæ, tantum enim calvaria capitis aderat, reliqua canes comederunt. Ibid.* 9. 33

Athalia vero mater Ochoziæ -- interfecit omne ſemen regium *ut poſſet regnare ſuper populum, & poſtmodum turpiter interfecta fuit, juſſu Jojada ſacerdotis.* 4. *Reg.* 11. v. 1. 16

*Joas rex Juda malus & ingratus, qui Zachariam filium ſacerdotis Jojada fecit crudeliter lapidari, poſtea interfectus eſt a ſervis ſuis. Ibid.* 12. 20

*Rex Aſſyriorum ſuperbiſſimus, Senacherib, qui & in Deum cæli blaſphemus, poſtquam de terra Juda confuſus aufugit, a filiis ſuis interfectus fuit. Ibid.* 19. 37

*Sedecias rex Juda malus apud Deum & homines, comprehenſus eſt fugiens. Ante cujus oculos rex Babylonis proprios filios fecit occidi, deinde exoculatus fuit, & ductus in Babylonem, ibidem miſerabiliter mortuus eſt. Ibid.* 25. 7

*Multas terras cepit & deſtruxit Holofernes: tandem dormiens inebriatus, per manum mulieris capitatus fuit. Judith.* 13. 10

*Superbiſſimus Aman, qui faciebat ſe ab hominibus adorari, ſuſpenſus eſt in patibulo, quod ipſe paraverat Mardochæo. Eſth.* 7. 10

*Balthaſar rex Babylonis non eſt correctus per exemplum Nabuchodonoſor patris ſui, qui ante eum fuerat mutatus in beſtiam: & in convivio vidit Scripturam in pariete:* Mane, Thecel, Phares --- Eadem nocte interfectus eſt, *& regnum ejus ad Medos & Perſos translatum. Dan.* 4. & 5

*Accuſatores Danielis jubente Dario rege Perſarum, miſſi ſunt in lacum leonum, & a leonibus devorati. Ibid.* 6. 24. *Vide ſimilem caſum & Hiſtoriam ibidem* c. 14

*Percuſſus fuit Alcimus proditor*, & diſſolutus eſt paralyſi, nec ultra potuit loqui verbum, & mandare de domo ſua. Et mortuus eſt --- cum tormento magno. 1. *Mach.* 9. 55

*Contriſtatus rex Antiochus de hoc, quod Andronicus injuſte occiderat Oniam ſummum ſacerdotem, occidi in eodem loco Andronicum juſſit, quia nimiam impietatem commiſerat.* 2. *Mach.* 4. 38

Multis autem ſacrilegiis in templo a Lyſimacho commiſſis --- congregata eſt multitudo adverſus *eum, & ipſum ſecus ærarium interfecerunt. Eod. c.* 39

*Jaſon impius, qui fratrem proprium captivaverat*, & qui multos de patria ſua expulerat, peregre periit --- & inſepultus, *& illamentatus abjectus fuit.* 2. *Mach.* 5. 9

*Antiochus, qui multorum torſerat viſcera, paſſus durum dolorem viſcerum, miſerabili obitu in montibus victa defunctus eſt. Ibid.* 9. 5

*Menelaus, qui malitioſe obtinuit modico tempore principatum, de alta turri fuit præcipitatus in aggreſtum cineris. Ibid.* 13. 5

*Homo ille dives, cujus ager uberes fructus attulit, cum cogitaret deſtruere horrea ſua & facere majora, credebat ſe adhuc multos vitæ ſuæ habere annos, Dominus autem illi ait:* Stulte hac nocte *morieris &c. Luc.* 12. 20

*Vide ibidem a v.* 19. *terribilem iſtam hiſtoriam & exemplum de divite famoſo, epulone, qui mortuus eſt & ſepultus, atque in infernum delatus. c.* 16

*Ananias & uxor ejus Sapphira, qui fraudaverunt de pretio agri venditi, ad increpationem Petri terribiliter ambo expirarunt extemplo. Actor.* 5. 1. *&c.*

*Herodes ſedens pro tribunali, & veſtitus veſte regali, concionabatur ad populum.* Populus autem acclamabat; Dei voces, & non hominis. Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo, & conſumptus a vermibus, expiravit. *Ibid.* 12. 23

*Mortem qui ſibi intulerint.*

QUi (*ſcilicet Abimelech, cujus caput quædam mulier fragmine molæ illiſerat ex turri quadam excelſa in quam confugerant viri & mulieres ab Abimelech*) vocavit cito armigerum ſuum, & ait ad eum: Evagina gladium tuum, & percute me: ne forte dicatur, quod a femina interfectus ſim, &c. *Judic.* 9. 54

Et apprehendens (*Samſon*) ambas columnas, quibus innitebatur domus: alteramque earum dextera, & alteram læva tenens, ait: Moriatur anima mea cum Philiſthiim. *Ibid.* 16. 29

Dixitque Saul (*filiis Iſrael in pugna cæſis a Philiſthiim*) ad armigerum ſuum: Evagina gladium tuum, & percute me: ne forte veniant incircumciſi iſti, & interficiant me, illudentes mihi. Et noluit armiger ejus: fuerat enim nimio terrore perterritus: arripuit itaque Saul gladium *ſuum*, & irruit ſuper eum. Quod cum vidiſſet armiger ejus, videlicet quod mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo. 1. *Reg.* 31. 4

Porro Achitophel videns, quod non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtravit aſinum ſuum, ſurrexitque & abiit in domum ſuam --- & diſpoſita domo ſua, ſuſpendio interiit, & ſepultus eſt in ſepulcro patris ſui. 2. *Reg.* 17. 23

Videns autem Zambri, quod expugnanda eſſet civitas (*Therſa*) ingreſſus eſt palatium, & ſuccendit ſe cum domo regia: & mortuus eſt in peccatis ſuis, quæ peccaverat faciens malum coram Domino, & ambulans in via Jeroboam, & in peccato ejus, quo fecit peccare Iſrael. 3. *Reg.* 16. 18

Sed ob hoc accuſatus (*Ptolomæus*) ab amicis apud Eupatorem, cum frequenter proditor audiret, eo quod Cyprum creditam ſibi a Philometore deſeruiſſet, & ad Antiochum Nobilem translatus, etiam ab eo receſſiſſet, veneno vitam finivit. 2. *Mach.* 10. 13

*Suggerente Alcimo, qui ſummo deſtitutus erat ſacerdotio, Nicanor in Judæos miſſus a rege Demetrio,*

*auditis*



*auditis Judæ præclaris facinoribus, amicitiam cum eo contraxit, quam poſtmodum rege cogente ſolvens dum Judam nequit comprehendere, templi minatur everſionem, & ſenem Raziam Judæum magnanimum apprehendere conatur, qui dum ab hoſtibus jam ſe capiendum videret, elegit potius conſtantiſſimo animo ſibi mortem inferre, quam indigne pati ab hoſtibus, in quos propriis manibus ſua inteſtina projecit.* 2. *Mach. c.* 14. Turbis autem irruere in domum ejus, & januam diſrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cum jam comprenderetur, gladio ſe petiit, &c. Ibid. v. 41

Et projectis argenteis in templo, receſſit: & abiens laqueo ſe ſuſpendit (*Judas.*) *Matt.* 27. 5

Et hic quidem poſſedit agrum de mercede iniquitatis, & ſuſpenſus crepuit medius & diffuſa ſunt omnia viſcera ejus. *Actor.* 1. 18

*Mortuos lugere, quatenus permittatur, & prohibeatur.*

ET ſuper mortuo (*ait Moyſes Iſraelitis*) non incidetis carnem noſtram, neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis. *Lev.* 19. 28

Filii eſtote Domini Dei veſtri: non vos incidetis, nec facietis calvitium ſuper mortuo. *Deut.* 14. 1

Fleruntque eum (*Moyſen mortuum*) filii Iſrael in campeſtribus Moab, 30. diebus: & completi ſunt dies planctus lugentium Moyſen. *Ibid.* 34. 8. *Vide & de Joſeph* Gen. 50

Apprehendens autem David veſtimenta ſua ſcidit, omneſque viri qui erant cum eo: & planxerunt & fleverunt, & jejunaverunt uſque ad veſperam ſuper Saul, & ſuper Jonatham filium ejus, & ſuper populum Domini, & ſuper domum Iſrael, eo quod corruiſſet gladio. 2. *Reg.* 1. 11

Cumque ſepeliſſent Abner in Hebron, levavit rex David vocem ſuam, & flevit ſuper tumulum Abner: flevit autem & omnis populus. *Ibid.* 3. 32

Dixitque David: Faciam miſericordiam cum Hannon filio Naas, ſicut fecit pater ejus mecum miſericordiam. Miſit ergo David conſolans eum per ſervos ſuos ſuper patris interitu. *Ibid.* 10. 2

Joab filius Sarviæ -- miſit Thecuam, & tulit inde mulierem ſapientem: dixitque ad eam: Lugere te ſimula, & induere veſte lugubri, & ne ungaris oleo, ut ſis quaſi mulier jam plurimo tempore lugens mortuum (*Abſalom*). *Ibid.* 14. 1

Nuntiatum eſt autem Joab quod Rex (*David*) fleret & lugeret filium ſuum: & verſa eſt victoria in luctum in die illa omni populo: audivit enim populus in die illa dici: Dolet Rex ſuper filio ſuo. *Ibid.* 19. 1

Super mortuum plora, defecit enim lux ejus: & ſuper fatuum plora, deficit enim ſenſu, &c. *Eccli.* 22. 10

Fili, in mortuum produc lacrimas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecundum judicium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius, &c. *Ibid.* 38. 16

Et fleverunt eum omnis populus (*ſcilicet Judam occiſum*) Iſrael planctu magno, & lugebant dies multos. 1. *Mach.* 9. 20

Illi autem venerunt omnes cum pace in Terram Judam. Et planxerunt Jonathan, & eos, qui cum ipſo fuerant, valde: & luxit Iſrael luctu magno. *Ibid.* 12. 52. item c. 13. 26

Et cum veniſſet Jeſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite. *Matth.* 9. 23

Quam (*viduam ſcilicet cujus unicus filius erat mortuus*) cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. *Luc.* 7. 13

Jeſus ergo, ut vidit eam (*Martham ſororem Lazari*) plorantem, & Judæos, qui venerant cum ea, plorantes, infremuit ſpiritu, & turbavit ſeipſum. *Joan.* 11. 33

Curaverunt autem Stephanum viri timorati, & fecerunt planctum magnum ſuper eum. *Act.* 8. 2

Exurgens autem Petrus, venit cum illis (*cum duobus viris eum rogantibus ut veniret cum illis.*) Et cum adveniſſet, duxerunt illum in cœnaculum: & circumſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes, quas faciebat illis Dorcas. *Ibid.* 9. 39

Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent, &c. 1. *Theſſ.* 4. 13

*Mortui revocantur ad vitam.*

EEt clamavit ad Dominum (*Elias*) & dixit: Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam ego utcumque ſuſtentor, afflixiſti, ut interficeres filium ejus? &c. 3. *Reg.* 17. 20. Et exaudivit Dominus vocem Eliæ; & reverſa eſt anima pueri intra eum, & revixit. Ib. v. 22.

Ingreſſus eſt ergo Eliſeus domum, & ecce puer mortuus jacebat in lectulo ejus: ingreſſuſque clauſit oſtium ſuper ſe, & ſuper puerum: & oravit ad Dominum, &c. 4. *Reg.* 4. 33. At ille vocavit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc (*viduam*). Quæ vocata, ingreſſa eſt ad eum. Qui ait: Tolle Filium tuum, &c. Ibid. v. 36

Quidam autem ſepelientes hominem, viderunt latrunculos, & projecerunt cadaver in ſepulcrum Eliſei. Quod cum tetigiſſet oſſa Eliſei, revixit homo, & ſtetit ſuper pedes ſuos. *Ib.* 13. 21

Et cum ejecta eſſet turba, intravit: & tenuit manum ejus. Et ſurrexit puella (*ſcilicet filia principis.*) *Matth.* 9. 25

Et multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt (*ſcilicet in paſſione Chriſti.*) *Ib.* 27. 52.



Et

Et tenens manum puellæ, ait illi (*Jeſus*) Thalita cumi, quod eſt interpretatum: Puella (tibi dico) ſurge. Et confeſtim ſurrexit puella, & ambulabat: (*ſcilicet filia Jairi Archiſynagogi.*) *Marc.* 5.42. Idem Luc. 8.54

Quam (*viduam*) cum vidiſſet Dominus, miſericordia motus ſuper eam, dixit illi: Noli flere. Et acceſſit, & tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, ſteterunt. Et ait: Adoleſcens tibi dico, ſurge. Et reſedit, qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri ſuæ. *Luc.* 7.13

Voce magna clamavit (*Jeſus*); Lazare -- veni foras. Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus; ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata. *Joan.* 11.43

Ejectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua oravit, & converſus ad corpus dixit: Tabitha, ſurge. At illa aperuit oculos ſuos: & viſo Petro, reſedit. *Actor.* 9.40

Ad quem (*adoleſcentem Eutychum cadentem a tertio cœnaculo*) cum deſcendit Paulus, incubuit ſuper eum: & complexus, dixit: Nolite turbari, animam enim ipſius in ipſo eſt. *Ib.* 20.10

*Mors eſt conſolabilis miſeris.*

MOritur doctus ſimiliter ut indoctus. *Eccleſ.* 2.16

Unus ergo introitus eſt omnibus ad vitam, & ſimilis exitus. *Sap.* 7.6

Melior eſt mors, quam vita amara: & requies æterna, quam languor perſeverans. *Eccli.* 30.17

O mors! bonum eſt judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate, &c. *Ibid.* 41.3

*Honorabilis bonis.*

JUſtorum autem animæ in manu Dei ſunt, &c. *Sap.* 3.1

Juſtus autem, ſi morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. *Ibid.* 4.7

Noli metuere judicium mortis. Memento quæ ante fuerunt, & quæ ſuperventura ſunt tibi: hoc judicium a Domino omni carni. *Eccli.* 41.5

Juſtus perit, & non eſt, qui recogitet in corde ſuo --- Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo qui ambulavit in directione ſua. *Iſa.* 57.1

Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cælis. 2.*Cor.* 5.1

Coarctor autem e duobus; deſiderium habens diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, &c. *Philip.* 1.23

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Apoc.* 14.13

*Horribilis malis.*

MOrs peccatorum peſſima. *Pſal.* 33.22

Mortuo homine impio, nulla erit ultra ſpes. *Prov.* 11.7

Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum, nec habere poteſtatem in die mortis, nec finitur quieſcere ingruente bello, neque ſalvabit impietas impium. *Eccleſ.* 8.8

Cum enim morietur homo, hereditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes. *Eccli.* 10.13

O mors quam amara eſt memoria tua, homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis: viro quieto, & cujus viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum! *Ibid.* 41.1

*Lamentabilis cunctis.*

SUper mortuum plora, &c. *Eccli.* 22.10

Ingemiſce tacens, mortuorum luctum non faciens. *Ezech.* 24.17. Eccli. 38.16

*Mortuorum ſepultura. Vide ſepeliendi mortui.*

*Mortuorum ſuffragia. Vide Purgatorium.*

## TITULUS XXIV.

*Mortificatio.*

C*Aino, a paſſione invidiæ occupato, ait Dominus*: ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. *Gen.* 4.7

*Magna opus fuit mortificatione, ut Abraham primo exiret de terra ſua, deinde ut immolaret cariſſimum, quod in mundo habebat, nempe unigenitum ſuum Filium. Ibid.* 12. *&* 22.

*Jacob mortificans ſe innixus capite lapidi, vidit myſterioſam ſcalam. Ibid.* 28.11

*Nazaræi abſtinebant a vino, & omni eo, quod inebriare poteſt, per totam vitam.* Num. 6.3

Et jejunavit David jejunio, & ingreſſus ſeorſum, jacuit ſuper terram, &c. *nec voluit ſurgere, & comedere cibum.* 2.*Reg.* 12.16

*David, vehementer ſitiens; deſiderabat aquam ex ciſterna Bethlehem; ſed poſtquam hæc fuit allata*, noluit bibere, ſed libavit eam Domino; *eamque effundens in terram.* 1.*Par. c.* 11

Itaque cum audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, jejunavitque, & dormivit in ſacco, &c. *& ait Dominus*: quia igitur (*Achab*) humiliatus eſt mei cauſſa, non inducam malum in diebus ejus. 3.*Reg.* 21.27

Et clamavit omnis populus ad Dominum — & humiliaverunt animas ſuas in jejuniis & orationibus, ipſi & mulieres eorum. *Judith.* 4.8. Et induerunt ſe Sacerdotes ciliciis & v. 16. & erat cinis ſuper capita eorum, &c.

*Judith,*



*Judith, licet innocentis vitæ, habebat* ſuper lumbos ſuos cilicium, & jejunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter Sabbata -- & feſta domus Iſrael. *Judith* 8.6

*Cum promulgatus fuiſſet crudele edictum Amani contra Judæos, Mardochæus* indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti --- In omnibus quoque Provinciis, Oppidis, ac locis --- planctus ingens erat apud Judæos, jejunium & ululatus, & ſacco & cinere multis pro ſtrato utentibus. *Eſther* 4.1

*Job, licet nullius gravis culpæ conſcius, de ſe teſtatur*: ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere. *Job* 42.6

*Quam auſteram vitam duxerit David, indicat his verbis*: Ego autem induebar cilicio: humiliabam in jejunio animam meam. *Pſal.* 34.13

Anticipaverunt vigilias oculi mei. *Pſal.* 76.5

Cinerem tamquam panem manducabam: & potum meum cum fletu miſcebam. *Ibid.* 101.10

Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu. *Joel.* 2.12

*Innocentiſſimus Joannes Baptiſta, auſteriſſimam in deſerto duxit vitam, habens* veſtimentum de pilis camelorum --- eſca autem erat locuſtæ & mel ſilveſtre. *Matth.* 3.4

*Sic & Paulus dicit*: Sed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo: ne forte cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. 1.*Cor.* 9.27

Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris. 2.*Cor.* 4.10

Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Gal.* 6.14

Mortificate ergo membra veſtra, quæ ſunt ſuper terram. *Coloſſ.* 3.5

## TITULUS XXV.

*Mulier.*

*Mulier bona Deum reverenter honorat.*

FAllax gratia, & vana eſt pulcritudo: mulier timens Dominum, ipſa laudabitur. *Prov.* 31.30

Fundamenta æterna ſupra petram ſolidam, & mandata Dei in corde mulieris ſanctæ. *Eccl.* 26.24

*Viro humiliter obtemperat.*

MUlier diligens, corona eſt viro ſuo: & putredo in oſſibus ejus, quæ confuſione res dignas gerit. *Prov.* 12.4

Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri ſui, &c. *Ibid.* 31.10

Noli diſcedere a muliere ſenſata & bona, quam ſortitus es in timore Domini: gratia enim verecundiæ illius ſuper aurum. *Eccl.* 7.21

Non zeles mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam. *Ibid.* 9.1

Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris. *Ibid.* v. 2

Beatus qui habitat cum muliere ſenſata. *Ibid.* 25.11

Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona mulier bona, in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. *Ibid.* 26.1

Gratia mulieris ſedulæ delectabit virum ſuum, & oſſa illius impinguabit. Diſciplina illius datum Dei eſt, &c. *Ibid.* 16

Species mulieris exhilarat faciem viri ſui, & ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperducit deſiderium. *Ibid.* 36.24

*Ut amicus commode congruat cum amico, vir tamen & uxor concordes utrique præferendi ſunt. Ib.* 40.23

Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino. *Epheſ.* 5.22. Coloſſ. 3.18

Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis. 1.*Petr.* 3.1

*Sanctæ mulieres ſubjectæ ſunt propriis viris, ſicut Sara obediebat Abrahæ, &c. Ibid. v.* 5

*Domum diligenter curat.*

QUi invenit mulierem bonam, invenit bonum: & hauriet jucunditatem a Domino. *Prov.* 18.22

Filia prudens hereditas viro ſuo. *Eccl.* 22.4

Sicut ſol oriens mundo in altiſſimis Dei: ſic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domus ſuæ. *Ibid.* 26.21

Qui poſſidet mulierem bonam, inchoat poſſeſſionem: adjutorium ſecundum illum eſt, & columna ut requies. *Ibid.* 36.26

Ut prudentiam doceant adoleſcentulas, ut viros ſuos ament, filios ſuos diligant, &c. *Tit.* 2.4

*Proximum ædificat honeſto affatu.*

FAvus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua. *Cant.* 4.11

Mulieres in Eccleſiis taceant: non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe. 1.*Cor.* 14.34

Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. 1.*Tim.* 2.11. Adam enim primus formatus eſt, deinde Eva: & Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit. Salvabitur

autem

autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate. 1. Tim. 2. 13

*Modeſto geſtu.*

MUlier gratioſa inveniet gloriam. *Prov.* 11. 16

Mulier ſenſata & tacita, non eſt immutatio eruditæ animæ. Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata. *Eccli.* 26. 18

Columnæ aureæ ſuper baſes argenteas, & pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris. *Ib.* v. 13

Filii, & ædificatio civitatis confirmabit nomen, & ſuper hæc mulier immaculata computatur. *Ibid.* 40. 19

Sanctificatus eſt enim vir infidelis per mulierem fidelem, & ſanctificata eſt mulier infidelis per virum fidelem. 1. *Cor.* 7. 14

Vir quidem non debet velare caput ſuum: quoniam imago & gloria Dei eſt, mulier autem gloria viri eſt. Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. Ideo debet mulier poteſtatem (*ſc. velamen*) habere ſuper caput, propter Angelos. *Ibid.* 11. 7

Vos ipſi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum? Nec ipſa natura docet vos, quod vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi. Mulier vero ſi comam nutriat, gloria eſt illi *Ibid.* v. 13

Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa: ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. 1. *Tim.* 2. 9

Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus: &c. 1. *Petr.* 3. 3

*Mulierum Fides.*

COmmendat *Apoſtolus fidem Rahab, quæ non periit cum iis, qui non obedierant, cum excepiſſet hoſpitio exploratores pacifice, confer* Joſue 2. 3. *Hebr.* 11. 31

*Ruth adhæſit Socrui ſuæ Noemi, dicens:* Populus tuus, Populus meus, & Deus tuus, Deus meus. *Unde Booz poſtea dixit ei:* Reddat tibi Dominus — plenam mercedem — ad quem veniſti, & ſub cujus confugiſti alas. *Ruth* 1. 15. c. 2. 12

*Mulier vidua ſareptana credidit verbis Eliæ Prophetæ, licet rem ſatis difficilem illi faciendam juberet.* 3. *Reg.* 17. 14

*Mundi creationem & corporum reſurrectionem optime confitebatur mirabilis illa mater, quæ ſeptem filios torqueri uno die vidit, & ipſos ad moriendum pro Dei legibus fortiter animavit.* 2. *Mach.* 7. *per tot.*

Si tetigero tantum veſtimentum ejus, ſalva ero. *Matth.* 9. 21

*Circa miſterium Dominicæ incarnationis fuerunt mulieres ad credendum promptiores quam viri.* Luc. 1. *Nam Zacharias, pater Joannis Baptiſtæ fuit incredulitatis ab Angelo redargutus* v. 20. *Eliſabeth autem in adventu B. Virginis exclamavit:* Unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me! v. 43

*Commendatur Beatiſſima Virgo, quæ credidit Angelo, & dixit:* Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. *Ibid.* v. 38

*Anna vidua Prophetiſſa,* loquebatur *de puero nato* omnibus, qui expectabant redemptionem Iſrael. *Ibid.* 2. 38

*Mariæ Magdalenæ dixit Dominus:* Fides tua te ſalvam fecit: Vade in pace. *Ibid.* 7. 50

*Tantam fidem habebat ad Dominum mulier Hæmorrhoiſſa, ut ſufficeret ei, ſi tantummodo tangeret fimbriam veſtimenti ejus. Ideo meruit audire:* fides tua ſalvam te fecit. *Ibid.* 8. 48

*Sic etiam mulier Chananæa, nec longa expectatione, nec dura reſponſione deſtitit clamare ad Dominum; idcirco tandem audivit:* O mulier magna eſt fides tua: fiat tibi ſicut vis. *Matth.* 15. 28

*Mulier Samaritana plene confeſſa eſt, dicens:* Quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus. *Et poſtea multi Samaritanorum crediderunt in Dominum, propter verbum mulieris hujus. Joan.* 4. 29

*Confeſſio fidei Marthæ, quæ dixit:* Ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum veniſti, *ſatis ſimilis fuit confeſſioni Petri. Ibid.* 11. 27. Matth. 16. 17

*De reſurrectione Domini legimus multos viros dubitaſſe, & Dominum Jeſum illorum incredulitatem, & cordis duritiam exprobaſſe; de mulieribus autem nihil tale legitur; ſed reſurgens Dominus primo apparuit mulieri, ſcilicet Magdalenæ, & illa currens diſcipulis lugentibus nuntiavit. Matth.* 28. 18. *& Marc.* 16. 9

Et quædam mulier, nomine Lydia, purpuraria — *audivit prædicationem Pauli,* cujus Dominus aperuit cor — *& baptizata eſt,* & domus ejus. *Actor.* 16. 14

*Mulierum Pietas & Compaſſio.*

REbecca *videns ſervum Abrahæ, hominem peregrinum & bibere petentem, ſine mora reſpondit:* Bibe Domine mi — quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. *Gen.* 24. 18

Timuerunt autem obſtetrices Deum, & non fecerunt juxta præceptum regis Ægypti, ſed conſervabant mares. *Exod.* 1. 17

*Cernens filia Pharaonis* parvulum vagientem, miſerta ejus, ait: De infantibus Hebræorum eſt hic, *& faciens eum nutriri, ut filium adoptavit. Ibid.* 2. 6

Ra-



*Rahab meretrix audiens exploratores Joſue ad mortem quæri, compaſſa eſt eis, & ipſos abſcondens liberavit, & ſanos remiſit. Joſ.* 2. *per tot.*

*Nuntii, euntes ad David, abſconditi fuerunt in puteo & ſalvati per mulierem, quæ poſuit velamen ſuper os putei, & eos, qui quærebant, deluſit.* 2. *Reg.* 17. 19

*Duarum mulierum coram Salomone contendentium, illa pium cor habuit, quæ liti cedere voluit, cujus viſcera ſuper filium commota fuerunt.* 3. *Reg.* 3. 26

*Vidua mulier Sareptana fuit hoſpita Eliæ prophetæ, & hic apud illam ſuſtentabatur. Ibid.* 17. 9

*Mulier Sunamitis induxit virum ſuum ad hoc, ut fieret in domo ſua Eliſeo locus aptus ad manendum.* 4. *Reg.* 4. 9

*Cum occideret Athalia* omne ſemen regium, *Joſaba filia regis Joram tulit Joas unum de filiis regis, & abſcondens, ſalvavit eum. Ibid.* 11. 2

*Eſther compatiens populo ſuo, morti addicto, magno ſe expoſuit periculo, & ſic liberationem & ſublimationem eorum obtinuit. Eſther* 5. *per tot.*

*Mulier illa Chananæa miſeriam filiæ ſuæ propriam reputabat, dicens:* Miſerere mei Domine fili David: filia male a Domino vexatur. *Matth.* 15. 22

*Prætulit Dominus duo æra minuta paupercula viduæ, quæ miſit in Gazophylacium, muneribus divitum; quia plus ponderat Dominus mentis pietatem, quam muneris quantitatem. Luc.* 21. 2

*Pietas B. Virginis Mariæ multum apparet in hoc, quod ad pauperes nuptias ire voluit, & deficiente vino, non requiſita ab aliquo, ſed ſponte verecundorum ſponſorum advocata, dixit filio:* Vinum non habent: *quod & ab ipſo miraculoſe obtinuit. Joan.* 2. 1

*Ambulans per mundum Salvator mundi in domo Marthæ & Mariæ ſpecialius hoſpitium legitur habuiſſe. Ibid.* 12. 2

*De paupercula mittente æra duo minuta in ſacrarium. Luc.* 21. 2

*Blaſphemantibus miracula Domini Scribis & Phariſæis, mulier quædam devote audiens verba ejus, extulit vocem, clamans:* Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ ſuxiſti. *Ibid.* 11. 27

*Mulieres miniſtraverunt Domino prædicanti, & per caſtella & civitates eunti. Ibid.* 8. 2. *Vide &* c. 10. 38. *de Martha.*

*Mulieres aſtiterunt Chriſto patienti, & ſequebantur eum, dum ad crucem duceretur, ab Apoſtolis derelictus. Ibid.* 23. 27

Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror, &c. *Joan.* 19. 25

*Item ſtudioſe obſequi voluerunt ei jacenti jam in ſepulcro. Marc.* 16. 2. Matth. 28. Luc. 23. & 24. Joan. 20. 1

*Propter opera pietatis & eleemoſynas, quas Thabita viduis faciebat, rogaverunt flentes Petrum, ut ad defunctam veniret. Et motus lacrimis eorum Petrus ponens genua, oravit, & eam ſuſcitavit. Actor.* 9. 36

*Exiens de carcere Petrus* venit ad domum Mariæ matris Joannis, *cognomine Marci. Unde patet (præcipue quia ibi multi erant congregati orantes) piam fuiſſe iſtam & bonam mulierem, & hoſpitam diſcipulorum Domini. Ibid.* 12. 12

*Mulier iſta purpuraria, credens ad prædicationem Pauli, & baptizata cum domo ſua,* deprecata eſt dicens: Si judicaſtis me fidelem Domino eſſe, introite in domum meam, & manete: & coegit nos, *ait Lucas. Ibid.* 16. 15

*Mulierum Sapientia.*

S*Ara prudenter intellexit ludum in Iſaac & Iſmaele non bonum: hinc dixit Dominus ad Abraham:* Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus, &c. *Gen.* 21. 12

*Sapientiſſime procuravit Rebecca, ut Jacob benedictionem a patre, quæ debebatur primogenito, obtineret: & poſtea fecit eum caute iram Eſau declinare. Ibid.* 27. *v.* 5. *&* 42

*Sapienter meretrix Rahab exploratores abſcondit, & per hoc ſe & totam domum ſuam a periculo mortis liberavit. Joſue* 2. 4

*Debora judicavit populum, docuit Barach filium Abinoem, quid facturus eſſet, ut populum Dei de manu Siſaræ liberaret. Judic.* 4. 4

*Sollicita fuit Noemi & aſtute ad modum inveniendum, quo Ruth alienigena nurus ſua nubere poſſit Booz inclyto & potenti. Ruth* 3. 1

*Per ſapientiam & eloquentiam ſuam, & liberalitatem Abigail viro ſuo Nabal vitam ſervavit, & regem David ab homicidio impedivit.* 1. *Reg.* 25. 23

*Sapiens mulier Thecuitis induxit David ad hoc ut filium ſuum Abſalom exulem revocaret.* 2. *Reg.* 14. 2

*Obſidente Joab civitatem Abelam, mulier quædam ſapiens taliter locuta eſt, & Joab & populo, ut & hi obtemperarint, & ille ab obſidione receſſerit. Ibid.* 20. 16. *&* 22

*Bethſabea mater Salomonis ſapienter verbum propoſuit coram rege David, ut Salomon poſt illum filius regnaret.* 3. *Reg.* 1. 15

*Magna ſapientia fuit in regina Saba, quæ ipſa venit audire ſapientiam Salomonis. Ibid.* 10. 1

*Miram ſapientiam, prudentiam, & conſtantiam oſtendit Judith alloquendo populum, & decipiendo tyrannum. Judith a c.* 8. *uſque ad finem.*

*Eſther*

*Eſther cum magna cautela fecit petitionem ſuam, poſtquam regem ad prandium invitaverat, & ille vino incaluerat. Eſther* 7. 2

*Mulierum fortitudo.*

B*Arac noluit ducere exercitum contra Siſaram: niſi Debora iret cum eo.* Quæ dixit ad eum: Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara. *Judic.* 4. 8

*Dixit Booz ad Ruth, quæ reliquerat patriam & Deos ſuos*: Scit enim omnis populus, qui habitat inter portas urbis meæ, mulierem te eſſe virtutis. *Ruth.* 3. 11

*Michol viriliter ſalvavit virum ſuum David, cum quæreretur ad mortem a Saul patre ſuo.* 1. *Reg.* 19. 11

*Cum vidiſſet Abigail virum ſuum Nabal dure reſpondiſſe nuntiis David, feſtinavit, & tulit diverſa xenia, & David iratum placavit. Ibid.* 25. 25

*Supra modum mater fortis & mirabilis, quæ pereuntes ſeptem filios ſuos ſub unius diei tempore conſpiciens bono animo ferebat, & feminea cogitationi maſculinum animum inſerebat.* 2. *Mach.* 7

*Mulierum fallacia & aſtutia.*

O*Ccaſione Hevæ deceptus eſt Adam, cum de ligno vetito ipſa ſuadente, comedit. Gen.* 3. 6

*Sara riſit, audita promiſſione de conceptione filii: redarguta autem a Domino ejus diffidentia, ſeipſam mendaciter excuſavit. Ibid.* 18. 10. v. 15

*Duæ filiæ Loth volentes ex patre ſuo concipere, cum verbis eum fortaſſis ad hoc inducere non auderent, mediante vino peregerunt. Ibid.* 19. 31

Rebecca pelliculaſque hœdorum circumdedit manibus (*Jacob*), & colli nuda protexit. *Ibid.* 27. 16

*Rachel patrem proprium, quærentem idola ſua, fallax deluſit. Ibid.* 31. 34

*Putiphara Joſeph apud virum ſuum nequiter accuſavit, ut ſe ipſam mendaciter excuſaret, & deinceps ſic fallaciter ſe de Joſeph impiiſſime vindicavit. Ibid.* 39. 13

*Obſtetrices Hebræorum, licet piam intentionem habuerint in reſervatione puerorum, tamen Pharaonem mendacio fefellerunt. Exod.* 1. 19

*Vide ibidem fallaciam & aſtutiam Thamar. Gen.* 38. 13

*Mulieres Moabitidæ filios Iſrael deceperunt, contra quos Balaam areolos cum omnibus magicis artibus nihil potuerat. Num.* 25. 1

*Rahab meretrix abſcondit exploratores Joſue, & eos, qui quærebant eos, fecit currere uſque ad vada Jordanis, dicens: quod exierint clauſa porta. Joſue* 3. 5

Egreſſa igitur Jahel in occurſum Siſaræ, dixit ad eum: Intra ad me, Domine mi: intra ne timeas. *Et poſtremo illum dormientem occidit. Judic.* 4. 18

*Uxor Samſonis, fundens ad eum lacrimas, dixit*: Odiſti me --- idcirco problema &c. non vis mihi exponere? *& tamen ſibi in damnum proprium Samſon illi revelavit. Ibid.* 14. 16

*Dalila moleſta fuit Samſoni jugiter per multos dies*, ſpatium ad quietem non tribuens; *tunc victus fortiſſimus Samſon, ſtulte aperuit ei totum. Ibid.* 16. 16

*Michol, intelligens quod Saul quæreret David virum ſuum ad mortem, fecit eum fugere, poſuit ſimulacrum ſuper lectum ejusdem.* 1. *Reg.* 19. 13

*Mulieris Thecuitæ ſolertia & fallacia revocatur Abſalom.* 2. *Reg.* 14. 4

*Viri, qui nuntiare debebant David ſtatum Abſalom, fuerunt poſiti in puteo & mulier quædam ponens* velamen ſuper eos putei, quaſi ſiccans ptiſanas *ipſius receſſiſſe mentita eſt.* 2. *Reg.* 17. 18

*Vide ibidem fallaciam meretricis mentientis.* 3. *Reg.* 3. 20

*Fefellit Holofernem Judith, a cujus facie terra tremere videbatur, attamen fefellit pia intentione. Judith.* 10. *&c.*

*Herodes metuebat Joannem, ſciens eſſe virum juſtum; & tamen Herodias in tantum laboravit, ut faceret illum in carcere decolari. Matth.* 14. 8. Marc. 6. 20

*Saphira uxor & Ananias maritus fallere voluerunt & decipere Petrum mentiti de agri pretio. Sed fallacia iſta & mendacium graviſſime fuit punitum. Actor.* 5. 1

*Mulierum aviditas & concupiſcentia.*

P*Rima mulier vidit lignum pulcrum & delectabile, & ſtatim ſine deliberatione* tulit de fructu illius, & comedit. *Gen.* 3. 6

*Sara licet eſſet bona, tamen culpabilem aviditatem liberos accipiendi ſatis manifeſtavit, dicens ad Abraham*: Ingredere ad ancillam meam ſi forte ſaltem ex illa ſuſcipiam filios. *Ibid.* 16. 2

*Filiæ Loth potius voluerunt de patre liberos ſuſcipere, quam ſine liberis permanere. Ibid.* 19. 31

Cernens autem Rachel, quod infecunda eſſet, invidit ſorori ſuæ, & ait marito ſuo: Da mihi liberos, alioquin moriar. *Ibid.* 30. 1.

Egreſſa eſt autem Dina --- ut videret mulieres regionis illius. *Ibid.* 34. 1

*Domina, cui ſerviebat Joſeph, non expectabat, ac ſolicitaretur ab eo, ſed ipſum nimis procaciter requiſivit. Ibid.* 39. 7

*Anna, mater Samuelis, præ deſiderio habendi liberos, &* flebat, & non capiebat cibum. 1. *Reg.* 1. 7

*Athalia mater Ochoziæ regis, concupiſcens regnare ſuper terram*, interfecit omne ſemen regium, *excepto Joas infantulo, qui futuro abſconditus fuit*, 4. *Reg.* 11. 1

*Anna*



*Anna Tobiæ uxor* quotidie exiliens circumſpiciebat, & circuibat vias omnes, per quas ſpes remeandi videbatur, ut procul videret eum (*filium ſuum*) ſi fieri poſſet, venientem. *Tob.* 10. 7. Cap. 11. 5

*Vide ibidem aviditatem Eſther, quæ non contenta cum domo Aman &c. plus petiit a rege, ut ibidem. Eſther* 9. 12

*Mulier Chananæa ſanitatem filiæ obtinuit multis precibus importunis. Matth.* 15. 21

*Mater filiorum Zebedæi non expectavit, ut remuneraret filios Dominus ſecundum merita, ſed petiit ante tempus unum poni ad dexteram Domini in regno ſuo, & alterum ad ſiniſtram. Ibid.* 20. 21

*Puella, nomine Rhode intelligens pulſare Petrum ad januam*, præ gaudio (*& aviditate*) non aperuit, *ſed relinquens Petrum foras, cucurrit, & aliis in domo nuntiavit. Actor.* 12. 13

*Mulierum ſtultiloquium.*

H*Eva prius legitur locuta fuiſſe cum ſerpente, quam cum Deo adorando, vel cum viro ſuo. Gen.* 3. 2

*Stulte Sara ridens locuta eſt, & iterum ſtulta negavit ſe riſiſſe. Vide ibidem. Ibid.* 18. 12

Cernens autem Rachel, quod infecunda eſſet --- ait marito ſuo, Da mihi liberos, alioquin moriar. *Quaſi eſſet in ipſius Jacob poteſtate, de ſterili fecundum facere. Ibid.* 30. 1. *Vide Verſum* 2

*Uxor Samſonis, ſtatim ut ſcivit propoſitionem obſcuram viri ſui, indicavit civibus ſuis in damnum mariti. Judic.* 14. 17

*Cum vidiſſet Dalila, quod Samſon* confeſſus ei eſſet omnem animum ſuum, *quomodo fortitudinem amittere poſſit, inimicos illius vocavit & ſtatim eis revelavit. Ibid.* 16. 18

*Quia David præ magna devotione ſaltaverat coram arca Domini, Michol ſtulte & ironice dixit*: Quam glorioſus fuit hodie rex Iſrael. 2. *Reg.* 6. 20

*Stulte locuta eſt mulier altera quæ coram Salomone de infante vivo rixata eſt*: Nec mihi, nec tibi ſit (*filius*), ſed dividatur. 3. *Reg.* 3. 26

*Stulte reſpondit uxor Tobiæ, marito*: Manifeſte vana facta eſt ſpes tua. *Tob.* 2. 22

*Sara, filia Raguelis increpante ancilla juſte, illa impatienter & injurioſe reſpondit* Amplius ex te non videamus filium, aut filiam ſuper terram. *Ibid.* 3. 9

*Audi ſtultam ſententiam & loquelam uxoris Aman, dum maritus ejus faceret querimoniam de Mardochæo, nam reſpondit*: Jube parari excelſam trabem --- ut appendatur ſuper eam. *Eſther.* 5. 14

*Sedente Job in ſterquilinio, & saniem defluentem teſta radente*, Dixit autem illi uxor ſua: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? benedic Domino, & morere. *Sed illi ille bene & diſcrete reſpondit*: Quaſi una de ſtultis mulieribus locuta es. *Job.* 2. 9

*Si non ſtulte, attamen quaſi ſtulte locuta eſt mater filiorum Zebedæi*: Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in regno tuo: *nam & Chriſtus hanc loquelam non approbavit. Matt.* 20. 21

*Mulierum ornatus ſuperfluus & curioſus.*

T*Hamar, nurus Judæ filii Jacob, volens ſocerum allicere, ut ex illo conciperet*, depoſitis viduitatis veſtibus *ornavit ſe, &* aſſumpſit theriſtrum. *Gen.* 38. 14

*Audito adventu Jehu, qui occiderat Joram regem Iſrael, Jezabel* depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornavit caput ſuum. 4. *Reg.* 9. 30

*Teſtatur Judith, quod ornamenta, quæ aſſumpſit, deceperint Holofernem. Induit enim ſe veſtimento lætitiæ, unxit faciem ſuam unguento, colligavit cincinnos ſuos mitra, ad decipiendum ipſum, &c. Judith.* 16. 8

Averte faciem tuam a muliere compta. *Eccli.* 9. 8

*De Eſther legitur: quod quando debuit intrare ad regem*, non quæſivit muliebrem cultum, *ſicut faciebant aliæ mulieres. Eſther* 2. 15.

*Reprehenſibilem habitum malæ mulieris deſcribit Salomon: conſidero vecordem juvenem.* Et occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: garrula, & vaga, quietis impatiens, &c. *Prov.* 7. 10

*Comminando dixit Propheta*: Auferet Dominus ornamenta calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & mitras, & diſcriminalia, *& multa alia ponit ibi. Iſa.* 3. 18

Similiter & mulieres (*incedant*) in habitu ornato, cum verecundia, & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa. 1. *Tim.* 1. 9

Quarum (*mulierum ſc.*) non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus. 1. *Petr.* 3. 3

*Mulier eſt viri adjutrix & propter ipſum ex coſta ejus effecta.*

F*Aciamus ei* (*homini*) adjutorium ſimile ſibi, *ait Creator. Gen.* 2. 18

Et ædificavit Dominus Deus coſtam (*Adæ*) --- in mulierem, &c. *Ibid.* v. 22

Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. 1. *Cor.* 11. 9

Mulier autem gloria viri eſt. *Ibid.* v. 7

*Mulier myſtica eſt Eccleſia tam veteris quam novi teſtamenti.*

Et levavi oculos, & ecce duæ mulieres egredientes, &c. *Zach.* 5. 9. *conf.* Apoc. 12. v. 1. ſeqq.

Mu-

*Mulierum officia.*

M*Aritum amore complecti, ut Michol David*, 1. *Reg.* 18. 28. Tit. 2. 4

Et apprehendentes parentes filiam ſuam, oſculati ſunt eam, & dimiſerunt ire: monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, & gubernare domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere. *Tob.* 10. 12

*Viris ſuis ſubjectæ eſſe debent, ipſis parere, & honorem deferre*: Mulieri quoque dixit (*Deus*): -- ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui. *Gen.* 3. 16

*Sara juxta mandatum Abrahæ mariti ſubticet ſe eſſe uxorem ejus. Ibid.* 12. 16

Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino: quoniam vir caput eſt mulieris: &c. *Epheſ.* 5. 22. Coloſſ. 3. 18. 1. Petr. 3. 1

Mulieres -- ſubjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans: cujus eſtis filiæ. 1. *Pet.* 3. 6

*Debent ſequi maritum quocumque ierit, ubi Sara. Gen.* 12. 11

Igitur Rebecca & puellæ illius, aſcenſis camelis, ſecutæ ſunt virum. *Ibid.* 24. 61

*Lia & Rachel Jacobum profugum ſponte ſequuntur. Ibid.* 31. 14

*Similiter ſequitur Moyſen Sephora. Exod.* 4. 20

*Mulieres ſint pudicæ*, non detrahentes, ſobriæ, fideles in omnibus. 1. *Tim.* 3. 11

*Mulieres velato capite orare debent.* 1. *Cor.* 11. 5

Mulier -- ſalvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione, cum ſobrietate. 1. *Tim.* 2. 15

Mulier in ſilentio diſcat, cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum: ſed eſſe in ſilentio. *Ibid.* v. 11

Mulieres in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe. 1. *Cor.* 14. 34

*Mulieres ſteriles fecundæ redditæ.*

S*Ara uxor Abrahami. Gen.* 16. 1. c. 21. 1

*Rebecca uxor Iſaac. Ibid.* 25. 21

*Rachel uxor Jacob. Ibid.* 30. 1. 22. 23

*Uxor Manue, mater Samſonis. Judic.* 13. 2. 24

*Anna, mater Samuelis.* 1. *Reg.* 1. 5. 20

*Eliſabeth, mater Joannis Baptiſtæ. Luc.* 1. 7. 57

*Mulier mala Deum contemnit.*

UT eruaris a muliere aliena, & ab extranea, quæ mollit ſermones ſuos, & relinquit ducem pubertatis ſuæ, & pacti Dei ſui oblita eſt: Inclinata eſt enim ad mortem domus ejus, & ad inferos ſemitæ ipſius. Omnes, qui ingrediuntur ad eam, non revertentur, nec apprehendent ſemitas vitæ. *Prov.* 2. 16

Virum de mille unum reperi; mulierem ex omnibus non inveni. *Ergo mulierum probarum numerus rarus. Eccleſ.* 7. 29

Non eſt creata hominibus ſuperbia, neque iracundia nationi mulierum. *Eccli.* 10. 22

*Peccatum duxit initium a muliere*, & per illam omnes morimur. *Ibid.* 25. 33

*Mulieres translatæ in Ægyptum, ſacrificabant Reginæ cæli. Jerem.* 44. 15

*Virum offendit.*

QUi expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, ſtultus eſt, & impius. *Prov.* 18. 22

Melius eſt ſedere in angulo domatis (*ſc. in pinna tecti*), quam cum muliere litigioſa, *quæ partem ædium habet. Ibid.* 21. 9

Melius eſt habitare in terra deſerta, quam cum muliere rixoſa & iracunda. *Ib.* v. 19

Tecta perſtillantia in die frigoris, & litigioſa mulier comparantur. *Ibid.* 27. 15. Vide & c. 19. 1. 13.

Patrem & Virum confundit audax (*mulier.*) *Eccli.* 22. 5

Omnis plaga triſtitia cordis eſt: & omnis malitia, nequitia mulieris. Et omnem plagam, & non plagam videbit cordis: & omnem nequitiam, & non nequitiam mulieris. *Ib.* 25. 17

Non eſt caput nequius ſuper caput colubri: & non eſt ira ſuper iram mulieris. Commorari leoni & draconi placebit, quam habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris immutat faciem ejus, & obcæcavit vultum ſuum tamquam urſus: & quaſi ſaccum oſtendit. In medio proximorum ingemuit vir ejus, & audiens ſuſpiravit modicum. *Ibid.* v. 22

Brevis omnis malitia ſuper malitiam mulieris, ſors peccatorum cadat ſuper illam. Sicut aſcenſus arenoſus in pedibus veterani, ſic mulier linguata homini quieto. *Ibid.* v. 26

Mulieris ira, & irreverentia, & confuſio magna. Mulier, ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo. Cor humile, & facies triſtis, & plaga cordis, mulier nequam. *Ibid.* v. 29

Dolor cordis, & luctus, mulier zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans. *Ibid.* 26. 8

Mulieres ſubditæ eſtote viris, ſicut oportet, in Domino. *Coloſſ.*

Pro-



*Proximum incendit procaci affatu.*

NE attendas fallaciæ mulieris. Favus enim diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus. Noviſſima autem illius abſynthium, & (*lingua ejus*) acuta, quaſi gladius biceps. Pedes ejus deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus illius penetrant. Per ſemitam vitæ non ambulant, vagi ſunt greſſus ejus, & inveſtigabiles. --- Longe fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus ejus. *Prov.* 5. 2

Dic ſapientiæ, ſoror mea es: & prudentiam voca amicam tuam, ut cuſtodiat te a muliere extranea, & ab aliena, quæ verba ſua dulcia facit. *Ibid.* 7. 4

De feneſtra enim domus meæ per cancellos proſpexi, & video parvulos, conſidero vecordem juvenem, qui tranſit per plateas juxta angulum, & prope viam domus illius graditur, in obſcuro, adveſperaſcente die, in noctis tenebris & caligine. Et ecce, occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas: garrula, & vaga --- Apprehenſumque deoſculatur juvenem, & procaci vultu blanditur. *Ibid.* v. 6. & 13

Irretivit eum multis ſermonibus & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam ſequitur, quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans quod ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta jecur ejus, velut ſi avis feſtinet ad laqueum, & neſcit quod de periculo animæ illius agitur. *Ibid.* v. 21.

Mulier ſtulta, & clamoſa, plenaque illecebris, & nihil omnino ſciens, ſedit in foribus domus ſuæ ſuper ſellam in excelſo urbis loco, ut vocaret tranſeuntes per viam & pergentes itinere ſuo. *Ibid.* 9. 13

*Petulanti geſtu.*

SI habuerint inter ſe jurgium viri duo, & unus contra alterum rixari cœperit, volenſque uxor alterius eruere virum ſuum de manu fortioris, miſeritque manum ſuam, & apprehenderit verenda ejus: abſcindes manum illius, nec flecteris ſuper eam ulla miſericordia. *Deut.* 25. 11

Et inveni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum eſt, & ſagena cor ejus, vincula ſunt manus illius, &c. *Eccleſ.* 7. 27

Manus debiles, & genua diſſoluta mulier, quæ non beatificat virum ſuum. *Eccli.* 25. 32

Sicut boum jugum, quod movetur, ita & mulier nequam. Qui tenet illam, quaſi qui apprehendit ſcorpionem. Mulier ebrioſa, ira magna, & contumelia, & turpitudo illius non tegetur, &c. *Ibid.* 26. 10

Omnem maſculum excipiet mulier. *Ibid.* 36. 23. *Multa invenies in tit. Fornicatio.*

*Domum deſtruit.*

SApiens mulier ædificat domum ſuam: inſipiens extructam quoque manibus deſtruet. *Prov.* 14. 1

Vir, qui amat ſapientiam, lætificat patrem ſuum: qui autem nutrit ſcorta perdet ſubſtantiam (*& animam ſuam*). *Ibid.* 29. 3

*Mulier mala ſumme cavenda.*

QUia mandatum lucerna eſt &c. ut cuſtodiant te a muliere mala, & a blanda lingua extraneæ: Non concupiſcat, &c. *Prov.* 6. 23

Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta illius non ardeant? &c. Sic ingreditur ad mulierem, &c. *Ibid.* v. 27

*Os ſcorti profundus eſt hiatus, in quem cadet, cui Dominus iraſcitur. Ibid.* 22. 14

Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam. *Ibid.* 31. 3

Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, &c. *Eccli.* 19. 2

Bonum eſt homini mulierem non tangere. 1. *Cor.* 7. 1

Adoleſcentiores autem viduas devita. 1. *Tim.* 5. 11

*Sollicite cuſtodienda.*

U*Xorem ex ſententia nactus ne repudies: nec te permittas odioſæ.* Mulier ſi eſt tibi ſecundum animam tuam, ne projicias illam: & odibili non credas te. *Eccli.* 7. 28

Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris, &c. *Ibid.* 9. 2

Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum: nec mulieri nequam veniam prodeundi. Si non ambulaverit ad manum tuam, confundit te in conſpectu inimicorum. A carnibus tuis abſcinde illam, ne ſemper te abutetur. *Ibid.* 25. 34

Super mulierem nequam bonum eſt ſignum. *Ibid.* 42. 6

Ab ea, quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui. *Mich.* 7. 5

## T I T U L U S XXVII.

*Multiloquium. Vide & Loquacitas.*

IN multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt. *Prov.* 10. 19

Oran-

Orantes autem, nolite multum loqui, ſicut Ethnici, putant enim quod in multilequio ſuo exaudiantur. *Matth. 6. 7*

## TITULUS XXVII.

*Multitudo.*

*Multitudo Dei auxilio non anteponenda.*

NOn timebo millia populi circumdantis me. *Pſal. 3. 7*

Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? &c. in die malorum protexit me — & exaltavit caput meum ſuper inimicos meos. *Ibid. 26. 1. 5. 6*

*Expugnat Joſue regem Jabin, cum aliis plurimis regibus ac populis. Joſue c. 11. Sic vide Hiſtoriam Gedeonis* Judic. 7

*Aſa regem Æthiopum Zaram cum exercitu mille millium divino auxilio concidit ad internecionem. 2. Paral. 14. 2*

*Joſaphat oratione jejunio juncta, & ſoli Deo fidens, vincit Moabitas & Amonitas. Ibid. 20. 21*

Cum permodicus veniſſet numerus Syrorum, tradidit Dominus in manibus eorum infinitam multitudinem, &c. *Ibid. 24. 24*

Nolite timere, nec paveatis Regem Aſſyriorum, & univerſam multitudinem — multo enim plures nobiſcum ſunt, quam cum illo. Cum illo enim eſt brachium carneum: nobiſcum Dominus Deus noſter, qui auxiliator eſt noſter, pugnatque pro nobis, &c. *Ibid. 32. 7*

Facile eſt concludi multos in manus paucorum: & non eſt differentia in conſpectu Dei cæli liberare in multis, & in paucis: quoniam non in multitudine exercitus victoria belli, ſed de cælo fortitudo: &c. *1. Mach. 1. 18. Vide & Bellum.*

## TITULUS XXVIII.

*Mundus.*

*Mundus piis contemnendus eſt.*

NOlite conformari huic ſæculo, &c. *Rom. 12. 2.* Vide & Jo: 15. 18. & 16. 33. 2. Petr. 1. 4

Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. *Galat. 6. 14*

Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. *Coloſſ. 3. 2*

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. *1. Jo: 2. 15*

*Mundi amor & amicitia, valde noxia, a Deo avertunt.*

FIlii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? *Pſal. 4. 3*

Odiſti obſervantes vanitates, ſupervacue. *Ibid. 30. 7*

Quoniam Deus diſſipavit oſſa eorum, qui hominibus placent. *Ibid. 52. 6*

Levate in cælum oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum: quia cæli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur, & habitatores ejus ſicut hæc interibunt: Salus autem mea in ſempiternum erit. *Iſa. 51. 6*

Væ cum benedixerint vobis homines: ſecundum hæc enim faciebant Pſeudoprophetis patres eorum. *Luc. 6. 26*

Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneant vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum, nec ſcit eum. *Jo: 14. 16*

Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret: Quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. *Ibid. 15. 18*

Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus: ut ei placeat, cui ſe probavit. *2. Tim. 2. 4*

Adulteri, neſcitis quia amicitia hujus mundi inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur. *Jacob 4. 4*

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum non eſt caritas Patris in eo. *1. Jo: 2. 15*

*Lætitia modum pervertit.*

QUi utuntur hoc mundo, tamquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi. *1. Cor. 7. 31*

Et Mundus tranſit, & concupiſcentia ejus. *1. Jo: 2. 17*

Propter hoc mundus non novit vos: quia non novit eum. *Ibid. 3. 1*

*Mundi malitiam fides ſubvertit.*

QUi vocavit nos propria gloria & virtute, per quam maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem. *2. Petr. 1. 3*

Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt. *1. Jo: 2. 16*





Omne, quod natum eſt ex Deo, vincit mundum. *Joan. 5. 4*

Quis eſt, qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Jeſus eſt Filius DEI? *Ibid. v. 5*

*Mundi Proſperitas. Vide Proſperitas mundana.*

## TITULUS XXIX.

*Munditiæ.*

*Munditiæ cordis.*

INnocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo. Hic accipiet benedictionem a Domino, &c. *Pſal. 23. 4*

Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. *Ibid. 50. 12*

Quam bonus Iſrael Deus his, qui recto ſunt corde! *Ibid. 72. 1*

Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. *Matth. 5. 8*

Animas veſtras caſtificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde invicem diligite attentius. *1. Pet. 1. 22*

*Munditiæ exterior & interior commendatur.*

VÆ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia mundatis quod deforis eſt calicis & paropſidis: intus autem pleni eſtis rapina & immunditia. *Matth. 23. 25. Idem* Luc. 11. 39

Has ergo habentes promiſſiones, cariſſimi mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei. *2. Cor. 7. 1*

*Imperatur.*

NOlite contaminare animas veſtras. *Levit. 11. 43*

Docebitis ergo filios Iſrael, ut caveant immunditiam, & non moriantur in ſordibus ſuis. *Ibid. 15. 31*

Perfectus eris, & abſque macula cum Domino Deo tuo. *Deut. 18. 13*

Lavamini, mundi eſtote, &c. *Iſa. 1. 16*

Lava a malitia cor tuum Jeruſalem, &c. *Jerem. 4. 14*

Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum non tetigeritis: & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. *2. Cor. 6. 17*

*Remuneratur.*

SAlvabitur innocens; ſalvabitur autem in munditia manuum ſuarum. *Job. 22. 30*

Et ero immaculatus cum eo — Et retribuet mihi Dominus ſecundum juſtitiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum ejus. *Pſal. 17. 24*

Quis aſcendet in montem Domini —? Innocens manibus & mundo corde. *Ibid. 23. 4*

Novit Dominus dies immaculatorum — Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur. *Ibid. 36. 18*

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia. *Ibid. 83. 13*

Beati immaculati in via. *Ibid. 118. 1*

Fiat cor meum immaculatum *Ibid. v. 80*

Perverſa via viri, aliena eſt (*a Deo*): qui autem mundus eſt, rectum opus ejus. *Prov. 21. 8*

Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum Regem. *Ibid. 22. 11*

Beati mundo corde quoniam ipſi Deum videbunt. *Matth. 5. 8*

Sicut elegit nos in ipſo, ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in caritate. *Epheſ. 1. 4*

Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum. *2. Tim. 2. 21*

Hi ſunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni. Ideo ſunt ante thronum Dei &c. *Apoc. 7. 14*

Beati qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni. *22. 14*

*A Deo datur.*

NUmquid homo, Dei comparatione juſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir? *Job. 4. 17*

Si lotus fuero quaſi aquis nivis, & fulſerint velut mundiſſimæ manus meæ: tamen ſordibus intinges me, &c. *Ibid. 9. 30*

Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu qui ſolus es? *Ibid. 14. 4.* Pſalm. 50. 4

Quid eſt homo, ut immaculatus ſit, & ut juſtus appareat natus de muliere? Ecce inter ſanctos ejus nemo immutabilis, & cæli non ſunt mundi in conſpectu ejus. *Ibid. 15. 14*

Ab immundo quid mundabitur? & a mendace quid verum dicetur? *Eccli. 34. 4*

Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Jeruſalem laverit de medio ejus, in ſpiritu judicii, & ſpiritu ardoris. *Iſa. 4. 4*

Et convertam converſionem Juda — & emundabo illos ab omni iniquitate ſua, in qua peccaverunt mihi: & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum, &c. *Jere. 33. 7*

Et lavi te aqua, & emundavi ſanguinem tuum ex te: & unxi te oleo. *Ezech. 16. 9*